DISPUTATIO JURIS PUBLICI
DE
COMITIBUS PALATII,

QUAM
FAVENTE SUMMO NUMINE,
PRAESIDE
VIRO CLARISSIMO AC CELEBERRIMO
EVERARDO OTTONE,
J. U. D. ET IN ILLUSTRI HAC ACADEMIA
JURIS CIVILIS, PUBLICI ET FEUDALIS
PROFESSORE,
PUBLICE DEFENDENDAM SUSCIPIET
FRIDERICUS GODEFRIDUS JO. DE DIEST,
COLONIENSIS
AUCTOR

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

TRAJECTI AD RHENUM D. 26. MAJI MDCCXXXIV.

RECUSA HELMSTADII
TYPIS PAVLLI DIETERICI SCHNORRII
ACADEMIAE IVLIAE TYPOGR.
cIↃ IↃ CC XLIV.

VIRO
PLURIMUM REVERENDO, CELEBERRIMO ET
CLARISSIMO,

D. CHRISTOPHORO RAABIO,

S. S. THEOL. DOCTORI, EJUSDEMQUE FACULTATIS, ET HISTORIAE ECCLESIASTICAE, IN FLORENTISSIMA ACADEMIA DUISBURGENSI, PROFESSORI ORDINARIO, AVUNCULO AC CURATORI SUO,

AD CINERES USQUE COLENDO

NEC NON

CLARISSIMO ET CONSULTISSIMO VIRO,

D. EVERARDO OTTONI,

J. U. D. JURIS PUBLICI, CIVILIS ET FEUDALIS, IN HAC ILLUSTRI ACADEMIA, PROFESSORI ORDINARIO, AFFINI AC DOCTORI SUO

PERPETUUM HONORANDO

HOS QUALESCUNQUE STUDIORUM CONATUS,

EA, QUA PAR EST, REVERENTIA,

D. D. D.

AUCTOR.

L. S.

N*on multis, in ipſo limine, tempora tua morabor, Benevole Lector: id vero ſcire tua intereſt*, de Comitibus Palatii *hanc Disputationem inſcribi, quia id negotii mihi datum eſſe videbatur, ut ſingillatim de Romanorum, Francorum & Germanorum Palatii Comitibus agerem, quo magis appareret, Sereniſſimos Palatii Comites ad Rhenum Nomen ſuum Romanis, Originem dignitatis Francis, ſed Conſummationem potentiæ hereditariæ Germanis debere. In ſingulis etiam non nulla diſtinguere tentavi, quæ ab aliis, qui exteriore ſpecie, & nominum ſono ducebantur, erant confuſa. Ceterorum vero regnorum, ut Angliæ, Hiſpaniæ, Hungariæ, Poloniæ & Croatiæ Comites Palatinos intactos reliqui; tum quia ad ſcopum meum non pertinebant; tum quia eruditiſſimus du Frene in* differt. XIV. ad Joinvillam *& in* Gloſſario, *quantum ſatis eſt, de illis diſſeruit. Tacitus quoque præterii Comites Palatii Lateranenſis, in Italia, quos magnus ille Thomas Reineſius illuſtravit. In Arelatenſi quoque regno, Burgundiæ & Viennæ; in Lotharingia inferiore, Hannoniæ & Namurci Comites Palatinos ab Imperatoribus conſtitutos eſſe, ut jura ſua conſervarent; Gobdaſtus*, tom. III. Conſtit. pag. 403. *& du Chene* in Hiſt. Reg. Burg. Lib. IV. c. 22. *oſtenderunt. De Campaniæ Comitibus Palatinis, ab iisdem creatis, pulchra P. Pithoei obſervatio extat, in* Memoires des Comtes de Champagne, *per Freherum Latine converſa. Denique de Comitibus Palatinis, qui, ſine proëdria, jus Notarios creandi, legitimandi, & talia, ex conceſſione Imperatoris, in Germania hodie exercent, Sagittarius, Mundius, Schubartus, Sahme, Griebnerus & Bergerus videantur: ſunt enim a noſtro inſtituto alieni.*

DIS-

DISPUTATIO JURIS PUBLICI

DE

COMITIBUS PALATII.

CAPUT I.

DE COMITIBUS PALATII ROMANI.

§. I. *Comites Principum ab eorum Amicis diſtincti.* II. *Alii Provinciis præpoſiti, alii in Conſiſtorio, alii intra Palatium militabant.* III. *Comites primi, ſecundi & tertii ordinis, aliter ante Conſtantinum, aliter poſt eum accipiendi.* IV. *Comitis Palatini nomen in aula Impp. titulus generalis honoris fuit, non muneris. Comites Palatini ad Rhenum male quæſiti in l. 9. C. Th. de Re mil. Unde Palatium dictum, & cur ſacrum.* V. *Inter partes Palatii eminuit Auditorium; in quo Præfectus prætorio de populo, non de Principe judicabat, niſi ipſe auctor fuiſſet.*

§. I.

COMITES a cum eundo, vel a comitando nomen acceperunt; non ex *comminandi poteſtate*, ut Otto Friſingenſis ſcribit *lib. 1. de Geſtis Frid. c. 13.* Vulgari enim ſignificatu Comes eſt, qui cum aliquo iter facit, aliumve ſequitur vel comitatur, ut comes matronæ, pueri &c. in *l. 15. §. 16 D. de Injur.* Strictius notat eum, qui Præ-

 ſidem

ſidem vel Proconſulem, in provinciam proficiscentem, conſilii vel officii gratia, adſectatur *l.* 16. *D. de Offic. Præſ. l.* 5. *D. ad l. Jul. repet.* & Juvenalis *Sat. VIII. vſ.* 127. Strictiſſime denique ſumitur pro eo, qui toga aut ſago clarus, circa latus Principis & in ejus comitatu occupatur. Spartianus in Hadrino *c.* 18. *Cum judicaret, in conſilio habuit, non amicos ſuos, aut comites ſolum, ſed Juriſconſultos.* Hinc *ſacer comitatus* eſt, ubi Princeps *l.* 13. §. 3. *D. de Re mil.* & legiones Palatinæ, palatio Principis deputatæ, *comitatenſes* dicuntur, *l.* 14. *C. eod.* v. Cujac. *lib.* 1. *Obſ* 25. Originem Comitum Tillemontius *Tom. I. Imp. p.* 98 *&* 762. ad ultima Auguſti tempora retulit, qui ſenatores aliquot elegit, ut quaſi collegium quoddam eſſent, quibuscum de maximis rebus conſultaret. Amicos autem intelligimus Principis familiares & interioris vitæ conſcios, quibuscum omnia conſilia miſcebat; *les Mignons* & *Favorits;* qualis erat Fabius Cilo Severi & Antonini, *l.* 4. *D. de Offic. præf. Vig.* Voluſius Mæcianus Divorum fratrum, *l.* 17. *D. de Jure Patron.* Ulpianus Alexandri Severi *l.* 4. *C. de Contr. ſtip* & plures Antonini Baſſiani in *l.* 1. *C. de ſent. paſſ* ubi nihil cauſſæ video, cur cum Cujacio *lib. XV. Obſ. c.* 3. pro *amicis*, *magiſtris* legamus. Comites vero ſunt expeditionum & rerum agendarum adjutores, conſiliorum & laborum participes, lateri Principis adhærentes. Lamprid. in Alexandro c. 37. *Injuriam nulli unquam Amicorum Comitumve fecit.* Ammianus lib. XVI. c. 12. *Comites ejus ducenti numero, & tres amici.* Sed Comites aliquando *Amici*, & hi e contrario *Comites* dicuntur: nonnunquam utraque appellatio concurrit, ut C. Sentius Severus, AMICUS ET COM. AUG. N. vocatur in ſaxo Mediolanenſi apud Gruterum *pag.* 1100. *n.* 5.

II.

Comitis ergo nomen, ſi quis per ſe conſideret, illis tantum initio tribuebatur, qui Principem, ubi ubi eſſet, comitabantur, & appellatio potius quædam generalis, quam certæ dignitatis fuit; at ſub Imperatoribus mediæ ætatis, tam in Oriente,

Oriente, quam in Occidente, honoris & dignitatis certæ titu-lus evaſit, qui ſtata commoda adnexa habebat, & omnibu- laborum ſociis, a principe Comitiva donatis, tribuebatur, *l. ult. C. Th. de Proxim. com. diſp.* Hinc conditio eorum diverſa fuit, & ratione adminiſtrationis, & ordinis. Prior claſſis in duo rurſus genera diducitur: alii enim, per provincias in adminiſtratione civili conſtituti vel gladio bellico accincti, *Comites provinciarum* dicuntur in *l.* 1. *C. Th. de Offic. rect. prov.* quia ex comitatu, a latere, vel ut Græci loquuntur, *ἐξ προσώπȣ* mittebantur, ut judicarent, & provinciam armis cuſtodirent; unde & *judices* dicti apud Caſſiodor. *lib. VI. form. c.* 22. 23. 24 & titulus 14. C. lib. XII. *de Comitibus, qui provincias regunt*, inſcribitur. Tales fuerunt Comites Orientis, Africæ, Ægypti &c. Alii vero Comites in Palatio circa latus Principis militabant, & hi rurſus vel intra Conſiſtorium erant, vel intra Palatium, veſti aut ſtabulo præfecti. Illi *Comites Conſiſtoriani* in *tit.* 10. *C. lib. XII.* vel COMITES IN CONSISTORIO, aut COMITES ORDINIS PRIMI INTRA CONSISTORIUM vocantur, in Inſcriptionibus Gruteri *pag.* 438. *n.* 1. & 465. *n.* 8. quia in Conſiſtorio Principis intimo, quod Suidas *θεῖον συνέδριον* vocat, arcanis intererant, & in negotia, quum legati vel alii quique audiebantur, inquirebant, *l.* 5. *C. Th. de Fid. Inſtrum.* Atque his oppoſiti videntur *Palatini* Comites ſacrarum largitionum & rerum privatarum, qui & Comites INTRA PALATIUM, in marmoribus Gruteri *p.* 361. *n.* 1. 363. *n.* 2. 493. *n.* 5. appellantur; generalius autem *Palatini Senatus* meminit Claudianus de *IV. Conſ. Honor. vs.* 11. Hæc de variis Comitibus ratione adminiſtrationis.

III.

Ratione ordinis jam olim differebant cohortes Comitum, in primigenia illa ſignificatione ſumtorum, quod alii eſſent primi, alii ſecundi loci; primæ vel ſecundæ admiſſionis: & tres Comitum claſſes memorat Sueton *Tib. c.* 46. ſicut amicorum Lampridius in Alexandro c. 20. *Moderationis tantæ*

fuit, ut amicos non ſolum primi ac ſecundi loci, ſed etiam inferioris, ægrotantes viſeret. At poſtquam Comitis titulus in nomen dignitatis converſus, & aliis quoque, quam qui in Principis comitatu, tributus fuit, tres Comitum gradus ſtatam demum formam accepere, &, prout cujusque merita poſtulabant, quidam primi ordinis erant; alios ſecundus locus honeſtabat; alii tertii gradus Comitiva donabantur. De Comitiva primi ordinis eſt titulus *C. Th. de Comit. & Trib. ſchol.* cum quinque titulis ſequentibus. De Comitiva ſecundi ordinis agitur in *l. 2. C. Th. de Comit. rei mil. & l. 27. C. Th. de Prox. com. diſp.* De Comitiva tertii ordinis *l* 127. *C. Th. de Decur.* una cum *l. 9. & 10. C. Th. de Suar.* videri poteſt. Quis autem Principum hos gradus inſtituerit, ſub judice lis eſt. Summus Cujacius ad *l. un. C. de Comit. & trib. ſchol.* eas Conſtantino tribuit, quoniam auctor vitæ ejus, qui vulgo Euſebius Cæſarienſis fertur, *lib. IV. c. 1.* ſcribit: *Comites alii primi ordinis fiebant; alii ſecundi ordinis; alii tertii.* Verum quia COMITES DOMESTICI ORDINIS PRIMI jam ante Conſtantinum in Inſcriptionibus occurrunt, & Suetonius Tiberium tres Comitum claſſes feciſſe refert, hinc Henricus Valeſius in annotat. ad *Euſeb. d. l.* Salmaſ. *ad Spartiani Hadrian. c.* 18. & *ad Trebellii Pollionis XXX. Tyrann. c.* 12. in alia omnia abierunt. Neque ego rem illam facile decerni poſſe puto; quia ſine dubio Comites, ſocii, & participes laborum Principis ſemper gradu diſtincti fuerunt; ut vero celſioris dignitatis *primi*, medioxumæ *ſecundi*, minimæ *tertii ordinis* Comitiva ornarentur, id ante Conſtantinum vix reperias; nec alius effecit, ut quod ante acceſſio tantum muneris fuerat, ipſum fieret nomen dignitatis, per gradus diſtinctæ. Tiberii autem diviſio ſtatam formam non habuit; ſed ſemel tantum fuit facta ad liberalitatem exercendam. Denique Jacobus Gothofredus ad *l. un. C. Th. de Comit & trib. ſchol.* Cujacii partes ex his Euſebii verbis tuendas ſuſcepit, quæ ſequuntur: *Nam Imperator, quo plures honoribus afficeret, varias dignitates excogitaverat.*

IV.

IV.

Quum itaque, ævo Conſtantini & poſteriorum Imperatorum Præfecti nomen migraſſet in Comitis nomen, nullaque pæne aulæ vel militiæ dignitas Comitivæ honore non eſſet ornata, uti *Comitum*, ſic etiam *Palatini* appellatio generalis eſt facta, & omnibus communis, qui munus aliquod gererent in Palatio Imperatoris. Abſit tamen, Comitum Palatii ad Rhenum originem, a Valentiniani temporibus ex *l. 9. C. Th. de Re milit.* repetamus, cujus verba hæc ſunt: *Tam duces, quam etiam Comites, & quibus Rheni eſt mandata cuſtodia:* nam Jac. Gothofredus ibi in commentario monet, quosdam male voculam, *Et*, expungere vel præterire, ut Comites Palatinos Rheni, ſi diis placet, inde arceſſant, cum rei militaris Comites intelligantur. Neque Comitis Palatii officium tunc erat aliquod ſingulare, ut poſtea apud Francos, & nunc apud Germanos, ſed titulus honoris & dignitatis; neque primi tantum & ſecundi ordinis, in actu reip. verſantes, ſed vacantes etiam, qui ſola Comitiva poſt probatos labores honorati eſſent; miniſtri quoque & apparitores Comitum rerum privatarum & ſacrarum largitionum ſpecialiter *Palatini* dicebantur; ut videre licet ex titulis utriusque Codicis: *De Palatinis ſacr. largit.* Juliani Scholiaſtes cap. 82 *Omnes, qui in palatio militant, poſſunt appellari palatini.* Immo Suidas genus panum, quod ex palatio præbebatur, *palatinum* dictum eſſe tradit. Nomen Palatinorum petitum eſt a magnifica Imperatoris domo, quam Suetonius Domit. c. 25. *Domum palatinam*; Gellius lib III. c 1. *Ædes palatinas* appellavit. Dicebatur illa Palatium, quia olim Evander & Romulus, poſtea Cæſar Auguſtus ejusque ſucceſſores in monte Palatino habitarunt, auctore Dione Caſſio *lib. LIII. p.* 507. Mons vero ille an a Pallante, avo Evandri, an a dea Pale, an vero a *Φαλάντιον* dictus ſit, non ſatis liquido pronuntiari poteſt, & aliis, qui talia norunt, diſcutienda relinquimus. vid. Varro *lib. IV. de LL.* & Nardinus *Rom. Vet. lib. VI. c.* 13. Potius videamus, cur Palatium, illud fuerit *ſacrum* & *ſacratiſſimum* dictum *l. ult.*

C. de Off. rect. prov. immo ſacrarium *l. 16. C. Th. de Haret.* & locus, ubi jus reddebatur, *auditorium ſacrum l. ult.* §. 1. *C. Th. de Prat.* Quum enim promiſcue & boni & mali Principes id ambitioſe agerent, ut virtutibus, quibus, tanquam Dei vicarii, ornati eſſe debebant, pollere crederentur; quædam etiam monſtra, ut Caligula, Nero & Domitianus divinitatem ſtolide affectarent; ceterique omnes Pontificatus dignitate & ſanctitate fulgerent; Magiſtratus vero & privati, peſtifera adulatione dotes eorum in cœlum eveherent, ſenſim omnia elogia divina non modo ipſis Principibus tributa ſunt, ſed & quæcunque vel ad dominium, vel ad poſſeſſionem eorum ſpectabant, vel ad tuendam faſtigii auctoritatem conſtituta erant, *ſacra* & *divina* audiebant. Poſtquam vero Conſtantinus veneranda Chriſtianorum fide Romanorum imperium munivit, faſtus & arrogantia quidem minor facta eſt, ut tamen a more jam pervulgato & diuturnitate temporis firmato non prorſus diſcederetur. Videbant enim in ſacris literis Reges deorum nomine inſigniri, & regium nomen apud cunctas gentes, ut Curtius ait, pro deo coli: hinc *Numinis, Divinitatis, Æternitatis, Adorationis, Oraculi Sacri, Sacratiſſimi, divi, divalis* & *cœleſtis* nomina in uſu manſerunt. In hyperbolica hæc & Chriſtianis Principibus indigna elogia, inter veteres Proſper *de Promiſſ. c. 7.* & Sariberienſis *lib. III. Polycrat. c. 10.* inter recentiores Scipio Gentilis *lib. II. de Donat. int. vir. c. 2.* Bachov. ad *l. 3. D. de Conſt. princ.* & Colerus *Parerg. c. 17.* acriter invecti ſunt, & ego laudo Theodoſium, qui ejuſmodi epitheta, civilem dignitatis modum excedentia, *ſuperno numini reſervanda eſſe*, declaravit, in *l. 1. C. Th. de Imag. Princ.* v. Selden. *de tit. hon. p.* 1. *c.* 7. & Poſtium *de div. Imp. tit.*

V.

Inter partes hujus Palatii erat *Auditorium* ſive locus juri dicundo deſtinatus, in quo ipſe Princeps, vel Præfectus prætorio, tanquam ſummus Imperii judex, cauſſas civiles & criminales, per appellationem partium, vel per relationem

ju-

judicum, vel per delegationem Principis ad ſupremum tribunal delatas, vice ſacra dijudicabat. Hinc *Imperii ſecundus* Spartiano, & *Alter ab Auguſto* Victori dicitur; quodque Ulpiano eſt auditorium Severi & Antonini in *l.* 18. §. 1. *&* 2. *D. de Minorib.* id Paulus in *l.* 40. *D. de Reb. cred.* appellat Auditorium Papiniani: *Lecta eſt*, inquit, *in auditorio Æmilii Papiniani, Præfecti Prætorio, Juriſconſulti, cautio hujusmodi.* Locum & pulchritudinem ejus deſcribit Dio Caſſius lib. 76. *Stellas, ſub quibus natus erat, Severus in laquearibus conclavium Palatii, in quibus jus reddebat, ita pingi curaverat, ut ab omnibus viderentur.* Cumque more Romano proditum eſſet, ne magiſtratus, licet juris periti, aliter cauſſas cognoſcerent, quam adſeſſoribus in conſilium adhibitis, quanto magis belli ducibus, ſubinde ad Præfecturam admotis, periti ſubadjuvæ dandi fuerunt, qui ſententias dictarent, & præfectos ſuffragiis ſuis confirmarent. Tales Papiniani, principis JCtorum Adſeſſores fuerunt, juris etiam peritiſſimi, Paulus Ulpianus & alii; de quibus vide Cl. Præſidem & Doctorem meum honorandum, *in vita Papiniani c.* 14 §. 5. *&* 6. Judicabat autem Præfectus prætorio de populo & Magiſtratibus: de Principe vero, qui, lata lege regia, vere regium imperium gerebat, & ceu ſupremus judex ipſum conſtituerat, judicare non potuit; niſi conſtitutum velis dicere ſuperiorem conſtituente, aut ordinem, ſine relatione ad aliquid primum, concipi poſſe arbitreris. *Nemo, niſi ſolus Deus, judex principis eſſe poteſt*, ajebat M. Antoninus Philoſophus apud Xiphilinum *in vita ejus pag.* 271. Boni vero Principes, id unice curantes, nequid regium oſtentarent, ſed verum Principem agerent, licet legibus ſoluti eſſent, ultro ſe legibus ſubjiciebant, nec Senatus Præfectique judicia adſpernabantur. Sic Traganus, cum pugionem Præfecto prætorio traderet, dixit: *Hoc pro me utere, ſi recte impero, ſi male contra me*, auctore Xiphilino *pag.* 248. De eodem Plinius *in Panegyr. c.* 36. *Dicitur actori, atque etiam procuratori tuo; In jus veni, ſequere ad tribunal.* Sic M. Antoninus pecuniam publicam attingere noluit, niſi con-

ſulto ſenatu, Xiphilin. ejus *vit. p.* 281. & alii, ne quid fallaciter impetratum pro vera eorum voluntate haberetur, reſcindi voluerunt, quæ legibus adverſa juſſiſſent. Vide *l. un. C. Quand. Imp. l* 1. *C. de Petit. bon. ſubl.* Grot. *lib.* 1. *de J. B. & P. c.* 3. §. 8. 18. *& c.* 4. §. 7. *n.* 5.

CAPUT II.
DE COMITIBUS PALATII FRANCORUM.

§. I. *Comes apud Francos nomen dignitatis, a Romanis petitum.* II. *Vernacula Gravio dicebatur, a grau, canus.* III. *Palatia Francorum magnifica, maxime Aquisgranum.* IV. *Vocantur Salæ, Palläſte, Pfaltz: inter partes eorum Conſiſtorium.* V. *Plures Comites palatii, ſed unus eorum princeps, contra Conringium.* VI. *Dicitur nunc Comes Palatii, nunc Sacri palatii. Matthæus notatur.* VII. *Comes Palatii ſub Meroveis a Majore domus diſtinctus, ſecus quam Chiſletio & Matthæo viſum.* VIII. *Munus ejus latiſſimum in civilibus, ſicut Archicapellani in Eccleſiaſticis. Seneſchalli & Domeſtici cura diverſa, adverſus Freherum.* IX. *Comes Palatii, Præſes ſupremi tribunalis, vice ſacra judicavit.* X. *Non tamen de cauſis gravioribus, niſi regis juſſu, multo minus de rege ipſo.* XI. *Comites Palatii ſæpe literarum rudes & juris imperiti, adſeſſorum prudentia adjuti.* XII. *Dignitas Comitis, inter primas aulæ, quando ſublata. Tabella vetus illuſtratur.*

§. I.

Diſſident Eruditi, an *Comitis* nomen a Germanis, an vero a Romanis profectum ſit. Prius plerisque, etiam Cluverio *lib. I. Germ ant. c.* 48. Conringio *Exerc. de Ducibus*, Pithœo, Frehero & Struvio placuit. Poſterius Bignonius *ad lib.* 1. *form. Marc.* 8. Valeſius *ad Ammianum lib XVI. c.* 12. & Hert. *de Orig. & progr. ſpecial. Rerump.* §. 2. aſſeruerunt, quorum ſententiam ſequimur; quia vox mere Latina eſt. Provocant quidem priores ad Tacitum de M. G. c. 12. *Eliguntur in Conciliis & principes, qui jura per pagos vicosque reddunt. Centeni* (alii malunt *Septeni*) *ſingulis ex plebe Comites, Conſilium ſimul*

ſimul & auctoritas adſunt. At nemo non videt, plebejos Judicum Adſeſſores & Scabinos, latini ſermonis proprietate & interpretatione Romana, hic dici Comites, ut in *l.* 4. *D. de Off. adſeſſ.* & *l.* 12. §. 1. *D. de Vacat. mun.* quod Judicem, virum nobilem comitarentur; eique præſto eſſent, in cognitionibus & libellis: nam ſimiliter Tacitus in eodem libro *c.* 7. *&* 11. præfectos militiæ, bello ingruente lectos, *Duces*; & optimates, *Principes* communi notione appellavit. Ad Francos ergo nos convertamus oportet, qui, æmulatione Romanæ magnitudinis, officiorum & dignitatum nomina retinuerunt. Eorum quippe nobiliores, linguam & mores Romanorum edocti ſummisque honoribus ornati, cum in Galliis ſedes fixiſſent, munerum nomina, a Romanis conſtituta, retinere ſtuduerunt, ſicut *politia ut plurimum Romana in cetris utebantur*, auctore Agathia *lib.* 1. & Aulæ Orientalis miniſteria imitabantur, ut ſcribit Adamus Bremenſis *cap.* 149. Itaque Reges, ut Proceres potentes & libertatis amantes muneribus placarent, eos Comites Limitum, Provinciarum, Pagorum, Burgorum & Palatii crearunt, vocibus Romæ, Conſtantinopoli & in Provinciis poſteriore ætate uſitatis; hoc tamen diſcrimine, quod Comes non vagæ, ſed certæ dignitatis ac præpoſituræ nomen eſſet, ac urbium judices vel pagorum rectores notaret, etſi a latere Regis miſſi non eſſent. Lex Ripuariorum *tit.* 53. *Si quis judicem fiſcalem, quem Comitem vocant, interfecerit.*

II.

Comites illi vernaculo ſermone *Marck-Land-Gow-Burg-* & *Pfaltz-Grafen* vocabantur, nomine *Grafionis* vel *Gravonis* antiquo, Francis & Alamannis uſitato, ut ex eorum monumentis cognoſcitur. Gloſſæ veteres *Palatinus*, *Palensgreve.* Vix autem alia vox eſt, cujus origo magis exercuerit ingenia Eruditorum, quam quidem illa Gravonis: aliis duras, aliis contumelioſas, aliis minus probabiles conjecturas, proponentibus. Lipſius & Wendelinus eam ἀπὸ τȣ γράφειν; Chifletius

ſletius a *Graphiario* Regis aureo, quo donabantur quaſi Graphii Regii cuſtodes; Spelmannus a *Reafian*, quod Anglo Saxonibus eſt rapere; Heigius a *Grabe*, foſſa & limite, cui præfecti; Altingius a *Graben*, ab eruendis cauſarum meritis; Eccardus a *Ragen*, eminere; Wachterus a *Gereſa*, *Geſera*, ſocius, ſodalis, per contractionem derivarunt. Mihi de primitivæ vocis etymo non valde laborandum videtur; at ſi quis, quid probabilius eſſe opiner, requirat, magis illis accedo, qui gravonem a *grau* canitie repetunt: hæc enim vox antiquiſſima non a Græcorum γϱαῦς deſcendit, ſed Germanorum majoribus, Scythis jam uſitata fuit, teſte Plinio lib. VI. H. N. c. 17. *Scythæ Caucaſum montem appellavere Graucaſum, hoc eſt, nive candidum.* Adde quod apud pleraſque gentes tanta Cani capitis reverentia fuit, ut qui ceteris virtute aut dignitate præſtaret, Senior diceretur, licet barbam promiſſam non gereret. Maxime vero in Germania, ubi boni mores plus valebant, quam alibi bonæ leges, opus fuit, ut viri ſenes & longo uſu exercitati Judices ſuperiores eligerentur. Nomen ergo ſortiti ſunt ab ætate, ut *Seniores* Hebræorum, πϱεσβύτεϱοι, Græcorum; Latinorum *Senatores*; Burgundionum *Hendini*; Francorum *Seniores*, *Seigneurs*, Anglo-Saxonum *Aldermanni*. Dictionarium Lat. Sax. *Comes Ealdorman.* Diaconus l. v. de Geſtis Langob. c. 36. *Cum Comite Bojoariorum, quem illi Gravionem dicunt.* Nonnunquam vero Comites a Grafionibus ſeparantur, ut in lege Ripuariorum *tit.* 88. & in placito Clodovci III. apud Mabillonium *lib. VI. de Re Diplom. n.* 19. non ea ratione, quod Grafio ſit Comitis Vicarius, uti Spelmannus; nec quaſi ſit Judex fiſci, ut alii ſenſerunt; ſed quemadmodum *Comites majores & minores*, *ſeniores & juniores* in Capitularibus & formulis Alſatiæ diſtinguuntur: alii enim ſub Duce, alii immediate regno ſubjecti fuerunt, ut *Petrus*, *domini Imperatoris Judex*, apud Ughell. *tom. III. Ital. ſacr. pag.* 295. v. Coler. *Parerg. c.* 27. Voſſ. *lib. II. de Vit. ſerm. c.* 8. & Eccardum *not. in Catecheſ. Theodiſc. p.* 149.

III.

III.

Quemadmodum Comitis, ita *Palatii* quoque vox a Romanis ad Francos perlata eſt; quorum Reges in urbibus capitalibus, ſed plura in villis palatia habuerunt: quum enim patrii moris tenaces oppida, ut circumdata retiis clauſtra, declinarent, villas amœniores, ad ſylvas vel flumina poſitas, aut regni capiti propiores Palatiis exornabant, quæ laxitate & magnificentia ſplendorem Romanorum imitabantur. Mitto nunc vicinum Niumagum, palatium ad Vahalim, quod, *ut ingentis magnitudinis mirique operis*, extollunt Annales Metenſes, ſed quod A. 881. Danorum incendio periit. Non etiam memorabo Ingilenheimenſe Palatium, centum columnis ſuffultum; in cujus baſilica æreos poſtes & aurea oſtia fuiſſe, tradit Hermoldus Nigellus. Regiæ Aquisgranenſis quanta pulchritudo fuerit, Hadrianus Valeſius ex *Chron. Moiſcianenſi* ad A. 896. & Celeb. Gundlingius *in anis p.* 18. *p.* 240. ex Monacho S. Galli *lib.* 1. *c.* 30. oſtenderunt, & vel ex Baſilica, opere mirabili ibidem exſtructa, & columnis marmoreis, Roma atque Ravenna devectis, cognoſcere licet, apud Eginhart *de Vita Car. M. c.* 17. 22. *&* 26. Hanc quoque urbem a Carolo M. tum quia natale ejus ſolum erat, tum quia vaporibus Aquarum delectabatur, totius Imperii ſedem & Palatium primarium, immo alteram Romam conſtitutam eſſe, tam notum eſt, ut ſubleſtæ fidei teſtimonio non ſit opus, quod ex Aub. Miræo *Donat. piar.* c. xi. *p.* 14. depromitur: ipſi enim editori ſuſpectæ viſæ ſunt tabulæ Aquisgranenſes, in quibus Carolus M. Pontificis Romani conſenſu ſanxiſſe fertur, *ut hæc ſedes regni trans Alpes habeatur, ſitque caput omnium Civitatum & Provinciarum Galliæ.* Majoris ponderis eſt Wipponis locus in *Vita Conradi* Imp. *p.* 426. *Aquisgrani publicus thronus regalis, ab antiquis Regibus, & a Carolo præcipue locatus eſt.* Hinc etiam, in clauſula plerorumque Caroli M. diplomatum extrema, hoc Palatium memoratur, ut in Capitularibus tom. I. col. 241. & 502. *Actum Aquisgrani, palatio regio in Dei nomine feliciter Amen!* Male Papebrochius ſuſpicatus eſt *Aquis* legen-

dum eſſe, *Propyl. n.* 28. licet ita aliquando habeant Capitularia *Tom. I. p.* 505. & *II. p.* 1080. Vulgati ſunt rythmi ex hymno, Caroli memoriæ ſacro: *Urbs Aquenſis, urbs regalis, regni ſedes principalis, Prima regum curia.* De his ceteriſque Palatiis, poſt Valeſii & du Frenii induſtriam, profeſſa opera egit Michaël Germanus, cujus eſt liber *IV. de re diplomat.* Mabillonii, qui tamen *ſupplem. c.* XI. *n. 6.* agnovit ejus tractationem ſuppleri poſſe. Omiſit utique Palatium *Salz*, cujus ſitum indicant Annales Francorum, a Reubero editi, & Capitularia *Tom. I. Baluz. p.* 415. etiam Poëta Saxo ad A. 790. de Carolo M.

- - - - - donec prope mœnia venit
Magna Palatinæ ſedis, Salz nomine dictæ
Naſcenti vicina Salæ.

Nulla quidem hujus Palatii veſtigia ſuperſunt; ſed habet id cum multis aliis commune, quæ vel Normannorum incurſionibus, incendiis, ipſove ſitu deleta ſunt: nam mors & ſaxis marmoribusque venit.

IV.

In hisce Palatiis Reges hiemare, &, ſi pax eſſet, æſtiva quoque agere, Synodos & Placita indicere, ac ſolennia Natalis & Paſchatis feſta cum apparatu celebrare ſolebant. Hinc in geſtis Francorum legitur non ſemel, *Natalem Domini, in villa, quæ dicitur Attiniacus, celebravit, & Paſcha in Heriſtallio.* Inter partes Palatii, in Chartario Farenſi deſcripti, tertia refertur: *Conſiſtorium, id eſt, domus in Palatio magna & ampla, ubi lites & cauſſæ audiebantur & diſcutiebantur; dictum Conſiſtorium a conſiſtendo, quia ibi ut qualibet audirent & terminarent negotia, judices vel officiales conſiſtere debent.* Palatium illud Franci nunc *Salam*, id eſt, domum aut conclave aulæ principis præcipuum; nunc *Palinza* & *Palinzhus*, ut loquitur Otfridus; vel *pallaſt, pallantz*, contracte *Pfalz* vocarunt. Opponitur ei *mallus, die*

mal-

malſtatt, & *placitum*, *platz*, id eſt, forum cauſarum, ſive conventus publicus, juris dicundi cauſſa convocatus, ad tribunal comitis provincialis Capitul. Baluz. *t.* I. *p* 605. *n.* 4. *Si homini cuilibet cauſam in placito, aut coram Comite Palatii agenti, alius fuerit impedimento, volumus, ut ſive Comes Palatii, ſeu Comes ipſe in Comitatu ſuo jubeat eum exire foras.* A voce *Sale*, ut obiter hoc addam, dicti ſunt Franci *Salici*, uti a Palatio, *Palatini*, id eſt, viri Principes, qui immediate a Rege terras & dignitates acceperunt, ſub lege militiæ, quaſi præcipui palatii proceres, Pares Curtis in libris *Feudorum* dicti. Nec aliam Parium Franciæ originem quærendam eſſe, ait Janus a Coſta ad *Decretales pag* 307. De *Sala* plura videſis apud du Frenium *in diſſ. XVII. ad Joinvill.* Wendelinum in *Gloſſario Salico*, & Eccardum *ad LL. Sal. tit.* 19. *p.* 44.

V.

Unicuique palatio ſuus erat Procurator, qui amplos ejus reditus in familiam regiam miſſosque dominos diſpenſaret. Supra illum fuit Domeſticus, quem nunc actorem dominicum, nunc majorem domus, nunc etiam, ſi Comitivam adeptus, Comitem Palatinum appellabant, qui in comitatu ſuo cauſſas fiſcales dijudicabat. Sed noſtri Comites Palatii, inter miniſteria aulica, illuſtri dignatione præditi, nulli villæ regiæ aut provinciæ affixi, regum lateri per omnia Palatia adhærebant, & *palatii Regalis Comites* appellantur, apud Gregor. Turonenſ. *lib. IX. c.* 12. In plurali dicimus *Comites*, quia licet unus forte eſſet primicerius, & ceteris præpoſitus, uti πρωτοκόμης inter officia Palatii Conſtantinopolitani recenſetur; plures tamen fuiſſe ſub prima & ſecunda ſtirpe conſtat: ſicut plures Referendarii, Cancellarii, Notarii, Camerarii & Domeſtici fuerunt, quorum princeps *Referendarius* abſolute & *Comes Domeſticorum*, vel *Domeſticus* κατ' ἐξοχὴν dicebatur. Cumque Regnum Francicum in triplicem maxime Monarchiam diviſum eſſet, Neuſtriam, Auſtraſiam, & Burgundiam, forte in ſingulis regnis ſinguli Comites Palatii, ſicut Majores

domus, fuere. Non provocabo, cum Th. Leodio, ad Rolandi ſepulchrum, apud Blaviam in Xantonibus, cui inſcriptum fertur; eum fuiſſe *primum Comitem Palatinum:* at plures uno fuiſſe, oſtendit Bignonius, in *notis ad Marculfum tom. II. capit. Baluzii p.* 918. ex tabulario monaſterii S. Dionyſii, in quo hæc verba: *Sicut Proceres noſtri, ſeu Comites Palatii noſtri, vel reliqui Regis doctores judicaverant.* Item ex Tradition. Fuldenſ. *lib.* 1. ubi ſub Ludovico Imp. A. 838. in uno eodemque judicio Gebawinus & Ricadhartus, Comites Palatii laudantur. Addo Einhardi Epiſt. XI. *Adalhardo & Gebuino, Comitibus Palatii.* Inde etiam in Capitul. *l.* 3. *c.* 77. T. 1. pag. 768. *ut nullus Comes Palatii.* Sed cum vir doctiſſimus, Hermannus Conringius, *in cenſura diplom. Ludovici p.* 127. Bignonio litem hac propter moviſſet, majore apparatu eruditiſſimus Mabillonius *lib. II. de re diplom. c.* 11. *n.* 4. docuit, ſub Clodoveo III. quatuor Comites Palatii, & ſub Childeberto eodem anno, in una eademque charta, Beronem & Grimbertum reperiri. Apud Baluzium quoque *Tom. III. Miſcell. pag.* 171. ſub Ludovico Pio duo Palatii Comites Rugenarius & Ramnulfus precariæ ſubſcribunt. Et *p.* 130. judicium Caroli Calvi Fulco & Ragenarius, Vaſſi Dominici & Comites Palatii ſubſignarunt.

VI.

Non magis probare poſſum, quod Vir eruditus, Ant. Matthæus *lib. IV. de Nobil. c.* 3. cum eodem Conringio *cenſ. dipl. Ludov. c.* 11. *p.* 189. *ſeqq.* religioſam Francorum laudat curam, circa nomina dignitatum, veteri ſaltem eorum republica, ut *ſacri* Palatii quidem Archicapellanum & Antiſtitem, non vero Comitem *Sacri palatii* appellarent, ante Fredericum Ænobarbum, nec *Comites Palatinos.* At hæc putem eſſe de eo genere, quæ plerumque vera ſunt, non ſemper; & prius refellit, tum quod Heribaldus ſub Ludovico II. A. 874. *Comes Sacri Palatii* vocatur, in optimæ notæ Chartario Caſaurienſe MS. apud Mabillonium *lib. VI. de re diplom. tab.* 104. tum quod Carolus Calvus Rex Elmeradum, *Sacri Palatii no-*

ſtri

ſtri *Comitem* appellat, in diplomate a Caſſa-nova edito *de lib. Allod. Occit. pag.* 300. tum denique, quod *Notarii & Judices Sacri palatii* ſæculo XI. frequenter leguntur, apud Puricellum *pag.* 372. 416. 430. *&c.* Poſterius autem falſum eſſe colligo, partim ex formula, a Mabillonio edita, in ſæculi IV. Benedictini part. 1. pag. 761. ubi *Telbaldius Comes Franciæ Palatinus* laudatur, partim quia omnes, qui in Palatio militant, dici poterant Palatini & *Palatini Principes*, ac *Proceres Palatii*, in chartis Regum Francorum promiſcue accipiuntur. Contracte dicitur *Conſpalatius*, ut *Conſtabulus*, vel *Conſtabularius* pro Comite ſtabuli, & *Seſcballus*, pro *Seneſchallus*, apud Martene *tom. II. col.* 480. Sic Fulco Caroli Calvi *Conſpalatius* appellatur in charta Camuſati *p.* 85. qui ejusdem Regis & Imperatoris Comes Palatii audit apud Flodoard. *lib. III. Hiſt. Rom. c.* 26. Comes *palatio* dicitur. *t.* 1. *Capitul. Baluz. pag.* 605. *n.* 4. Walafridus Strabo *de rep. Eccl. c.* 31. *Præceptores* in palatiis vocat, ejusque carmen ad Thomam *Præceptorem palatii* extat *Tom. VI. Antiq. lect. Caniſii p.* 630.

VII.

Porro non convenit inter Viros doctos, quo tempore Comites Palatii inſtituti ſint. Cel. Ant. Matthæus *lib. IV. de Nobil. c.* 2. quaſi ex tripode pronunciat, Merovingorum temporibus præpoſitos Palatii Majores domus dictos; deſiiſſe ſic dici ſub Carolingicis & Palatii Comites appellatos; hos vero ceſſaſſe ſtirpe Carolingica extincta. Argumento ipſi eſt, quod Major domus etiam *Major Palatii* incerto Auctori dicitur, quem Alberto Argentinenſi præfixit Urſtiſius; quodque Pippinus, in Apologia Henrici IV. Imp. *Præfectus Palatii* vocatur. Addere potuiſſet, quod Pippinus dicatur ſumma poteſtate *Juri dicundo præſediſſe;* & Auctor Vitæ Leodgarii referat, Ebroinum, Majorem domus, ita cupiditatis face ſuccenſum fuiſſe, ut *illi coram eo tantum juſtam cauſſam haberent, qui plus pecuniæ dediſſent.* Hoc amplius Comitis *Palatii & Palatini* titulus tribuitur Warnario & Ebroino, Majoribus domus, apud

apud Aimoinum *lib. IV. c.* 6. alii etiam paſſim *Gubernatores, Rectores, Moderatores, Præfecti, Duces & Principes palatii* dicuntur, quia Palatii & regni cura ipſis incumbebat, a tempore Clodovei II. Dagoberti filii, ſola regiæ dignitatis ſpecie Regibus ipſis manente. Verumenimvero, quia ab aliis jam obſervatum eſt, Aimoino non multum fidei eſſe tribuendum in rebus formulariis, eo quod nominibus ſimplicibus veterum abuſus eſt, dum Latinitatem ſuam oſtentabat, ideo minime concesſerim ſub Merovingis Majorem domus & Palatii Comitem eundem fuiſſe; tum quia in diplomate Childeberti A. 697. apud Mabillon. *lib. VI. de re diplom. n.* 24. Pippinus Major domus; Hociobertus vero *Comes Palatii* laudatur: tum, quoniam Gregorius, Epiſcopus Turonenſis, *lib. IX. Hiſt. c.* 30. ſub Childeberto, Florentinianum, Majorem domus, a Romulfo Comite Palatii diſtinxit: denique Clodovei II. Præfectos palatii duos ſibi ſuccedentes Ægam & Archinoaldum; Comites vero palatii Bertharium & Rigobertum fuiſſe, Hadrian. Valeſius obſervavit *lib. XX. Rer. Franc. ad A.* 654. Tandem non opus eſt ut plura addamus, quia doctiſſimus du Frene in *Diſſertatione XIV. ad Ioinvillam*, omnium nominibus, qui hac dignitate in Francorum Hiſtoria inſigniti occurrunt, collectis, demonſtravit, Comites Palatinos & ab initio Monarchiæ fuiſſe, & ſub tertiæ ſtirpis regibus eorum non obſcura veſtigia reperiri. Oppoſuit autem du Frene hanc diſſertationem, cujus plurima etiam Gloſſario Lat. inſeruit, Johanni Jacobo Chifletio, qui eandem cum Matthæo ſententiam fovit, ſatis, opinor, a nobis jam deſtructam; eundemque Frenii ſcopum le Long in *Bibliotheca pag.* 687. docebit.

VIII.

Ad Comitis Palatii munus *innumerabilia pæne negotia* pertinuiſſe, ait Hincmarus *ep.* 3. *de Ord. & off. Palat. c.* 21. Quænam ea fuerint, ex diplomatibus priſciſque inſtrumentis breviter deſcripſit Baluz. *p.* 914. *col.* 2. *med.* at diſtinctis Archicapellani, Seneſcalli & Curapalatii muneribus vicinis optime, niſi

niſi me omnia fallunt, rem intelligemus. Et primum quidem Archicapellanus *Primarius Palatii* vocatur Alcuino *ep.* 42. Sed quod munus ille in omnibus Eccleſiaſticis cauſſis, hoc in cauſſis ſecularibus publicis & privatis præſtabat Comes Palatii, & ſicut ille in conſeſſu, Epiſcoporum ita hic adſidentibus Proceribus vice Regis in Palatio jus dicebat, niſi cauſæ gravitas Regis præſentiam exigeret: tunc enim utriusque judicium ſuſpenſum erat. Indicant hoc Epiſcopi, in epiſtola ad Ludovicum Regem, *tom. II. Capitul. Baluz. p.* 108. in qua munus Archicapellani reſtitui petunt A. 858. *Si Epiſcopus, pro quacunque neceſſitate Eccleſiaſtica, ad Vos direxerit, ad quem ſuus Miſſus veniat, per quem, quæ rationabiliter petierit, obtineat in palatio veſtro, ſicut Comes Palatii eſt in cauſſis Republicæ, miniſterio congruum conſtitutum habete.* Idem confirmat Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis, non modo in *epiſt.* 7. ad Fulconem quendam Comitem Palatii, in qua ipſum rogat, ut linquat accuſationem presbyteri, coram ipſo inſtitutam, quod ea ad laicum judicem non pertineret; ſed etiam *in ep.* 3. *c.* 19. *Præcipue,* inquit, *duo, id eſt, Apocriſiarius, qui vocatur apud nos Capellanus, vel Palatii cuſtos, de omnibus negotiis Eccleſiaſticis vel Miniſtris Eccleſiæ, & Comes Palatii de omnibus ſecularibus cauſſis vel judiciis ſuſcipiendi curam inſtanter habebant; ut nec Eccleſiaſtici nec ſeculares prius Dominum Regem abſque eorum conſultu inquietare neceſſe haberent, quousque illi præviderent, ſi neceſſitas eſſet, ut cauſſa ante Regem merito venire deberet &c.* His addo Walafridum Strabonem, abbatem, propter novem ſeculorum vetuſtatem fide dignum & Ludovici Pii æqualem, libro de div. offic. c. ult. *Quemadmodum ſunt in Palatiis Præceptores* (alii, *Prætores*) *ſeu Comites Palatii, qui ſecularium cauſas ventilant: ita ſunt & illi, quos ſummos Capellanos Franci vocant, Clericorum cauſſis prælati.* Archicapellanus quoque ſuperior erat Comite Palatii: quippe apex & caput omnium dignitatum palatinarum, ſolſtitium honorum, ultra quod nihil licet exſpectare homini togato; unde ſumma ſancta Palatina dignitas vocatur, in diplomate Ludovici Pii *de Eccleſia Hammaburgenſi,*

genſi, & Hilduinus Archicapellanus, in epiſtola Eccleſiæ Senonicæ, quæ in form. antiq. promot. Epiſc. form. 10. tom. 2. Concil. Gallic. reperitur: *Sacris negotiis a Deo prælatus* dicitur. Vide Petrum de Marca *d. conc. regn. & ſacerd. lib. IV. c.* 7. §. 3. ibique Baluzium *in not.* Cum eodem Archicapellani munere conjunctum fuit officium Archicancellarii, ſaltem ſub ſecunda regum Francorum familia, qui curam annuli regalis gerebat regisque diplomata Cancellariis dictabat, iisque ſubſcribebat, id quod Comiti Palatii non fuit datum. vid. Turonenſem *lib. V. Hiſtor. cap.* 5. & Chiflet. *Anaſt. Childer. c.* 8. Unde quod in capitulari 17. A. 877. legitur: *Adalardus Comes palatii remaneat cum eo* (filio regis) *cum ſigillo*, præter ordinem, abſente forſan Archicancellario, factum intelligi debere, Chifletius *Anaſt. c.* 9. & Mabillonius *lib II. de Re diplom. c.* 11. *n.* 14. monuere. Alii perperam Comitem S. palatii confundunt cum Seneſchallo, quem hodie magnum Magiſtrum Franciæ, *Grand Maitre*, interpretamur: is enim, a *ſene ſinne*, familia, & *Schalck* dictus, in locum Majoris domus ſucceſſit, & inter primos aulæ officiales fuit, uti regum diplomata declarant. Hinc eodem tempore Theobaldus, comes Bleſenſis, Seneſchalcus Franciæ, & Henricus, frater ejus, Comes Palatinus laudatur. Regiæ autem menſæ præpoſitus erat & *princeps coquorum* Reginoni Prumienſi dicitur: *omnia, præter potus vel victus caballorum, ad Seneſchallum reſpiciebant*, ait Hincmarus *ep.* 3. *c.* 23. & Hugonis de Cleeriis commentarius *de Seneſcalcia Franciæ* confirmat, apud Sirmond. *tom. III.* & correctius apud Baluz. *tom. IV. Anal. pag.* 479. Denique non adſtipulor Frehero, qui in *Orig. Palat. p.* 1. *c.* 1. Domeſticum eundem cum Comite Palatino facit; licet enim ille judiciis palatinis intereſſet, tamen idem fere muneris, quod apud orientales. *Cura palatii*, vel *Curopalates*, quaſi curator & præpoſitus palatiorum, gerebat: nam aulæ Regiæ & Villarum curam, tanquam ædilis, habebat, ædificia collapſa inſtaurabat, & nova exſtruebat. Præter Ammianum & Sidonium, *Cura palatii* meminit *l. un. C. de Comit. & trib. & l. un. C. Th. de His qui a præbit. tiron.*

Idem

Idem omnium Principis fabricarum curam habebat apud Gothos, *& aurea virga decoratus, inter obſequia numeroſa, ante pedes regios incedebat*, ut ait Caſſiodor. *lib. VII. Var. ep. 5.*

IX.

His ita diſtinctis, nunc tandem ad munus principale Comitis Palatii pergamus, quod in juſtitia adminiſtranda conſiſtit. Johannes Sariſberienſis *Ep.* 263. *Sicut alii præſules in partem ſollicitudinis a ſummo Pontifice evocantur, ut ſpiritualem exerceant gladium; ſic a principe in enſis materialis communionem Comites quidam, quaſi mundani juris præſules, adſciſcuntur. Et quidem qui hoc officii gerunt in Palatio juris auctoritate palatini ſunt, qui in provinciis provinciales. Utrique vero gladium portant, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.* Preſſius Hincmarus Rhemenſis, in ſæpe laudata epiſtola, inter Moguntinas tertia, ad Ludovicum Balbum Regem, *de Ord. & off. palat. c.* 21. ex libro Adelhardi, Caroli M. propinqui & Corbejenſis Abbatis, *de Ordine palatii* (qui nunc non exſtat) nos docet, cauſas per appellationem a Comitibus provincialibus ad eum delatas eſſe: *Comitis Palatii, inter cetera pæne innumerabilia, in hoc maxime ſollicitudo erat, ut omnes legales, quæ alibi ortæ, propter æquitatis judicium, Palatium aggrediebantur, juſte & rationabiliter determinaret, ſeu perverſe judicata ad æquitatis tramitem reduceret.* Neque hæ tantum, ſed & aliæ, quæcunque in prima inſtantia ad tribunal Regum pertinebant. Vita S. Aldrici, Epiſcopi Senonenſis, *cap.* 9. apud Mabillonium tom. V. Vitar. Bened. *Super quibus jocundatus Imperator Auguſtus, eum præceptorem Palatinum inſtituit, ut vita Imperialis aulæ & majora negotia ſuæ diſcretionis arbitrio definirentur.* Nimirum ubi reip. vel Principis intererat, ſive quod pax publica eſſet rupta, ſive inſidiæ ei ſtructæ, ſive ejus domania & fiſcus diminuerentur, hujus jurisdictio erat. Tales dicuntur *Cauſſæ reipublicæ*, cap. Caroli Calvi *tit.* 23. §. 7. *Cauſæ publicæ* in Annal. Fuld. A. 752. & apud Gregor. Turonenſ. *lib. IX.*

cap. 11. *Cauſſa palatinæ* apud Hincmarum *de Ord. Palat. c.* 33. Nec in civilibus tantum, ſed etiam in criminalibus & capitalibus partes ejus ſupremæ erant. Teſtamentum S. Leodegarii apud Miræ. *Donat. Belg. lib.* 1. *c.* 3. *Ut reus majeſtatis noverit ſe coram Majore palatii, vel capite, vel centum auri libris mulctandum.* In omnibus ergo hisce cauſſis ipſe Palatii Comes, vice ſacra, ſecundum leges & conſuetudines olitanas, decernebat. Hinc in Capit. t. 1. Baluz. pag. 629. n. 3. *Res monaſterii non prius ab ullo auferantur, quam aut ante Dominum Pippinum, aut ante Comitem palatii illius præfata ratio reddatur.*

X.

Quodſi vero lex dura eſſet gentilis, aut res lege non eſſet deciſa, ad Regem referendum erat, cui ſoli competebat ſecundum æquitatem aſpera legum mollire, Hincmar. *d. c.* 21. *Si vero eſſet tale, quod leges mundanæ hoc in ſuis deciſionibus ſtatutum non haberent, aut ſecundum gentilium conſuetudinem crudelius ſancitum eſſet, quam chriſtianitatis rectitudo vel ſancta auctoritas merito non conſentiret, hoc ad Regis moderationem perduceretur.* Pulcherrimum ejus rei habemus exemplum in Carolo M. de quo Eginhartus *in ejus vita cap.* 24. *Cum calcearetur aut amiciretur, non tantum amicos admittebat, verum etiam, ſi Comes palatii litem aliquam eſſe diceret, quæ ſine ejus juſſu definiri non poſſet, ſtatim litigantes introducere juſſit, &, velut pro tribunali ſederet, lite cognita, ſententiam dixit.* Eodem pertinet Eginharti epiſt. IX. ad Gebuinum Comitem Palatii: *Rogo dilectionem veſtram, ut hunc pagenſem noſtrum, nomine David, neceſſitates ſuas tibi referre volentem, exaudire digneris: &, ſi cauſſam ejus rationalem eſſe cognoveris, locum ei facias ad domum Imperatoris reclamare.* Ubi *pagenſis* eſt ejusdem pagi incola, cui Comes erat præpoſitus, ut in Capitular. *lib. III. c.* 75. Domus vero Imperatoris eſt auditorium ſacrum. Vita S. Præjecti Epiſcopi *cap.* 3. apud Bolland. *Ad palatium properat, ut mos eſt, apud regis aulam in loco, ubi cauſſæ ventilantur, introiit.*

Porro

Porro non omnium cauſarum notio ad illos ſpectaſſe videtur: nam pauperum & minus potentium lites, officii ratione; ceteras vero altioris indaginis, juſſu Regis præcedente, diſcingebant, ſecundum *lib. III. Capit. c.* 77. niſi quis illud ad Comites palatii minores referre malit. Verba ejus: *Neque ullus Comes palatii noſtri potentiorum cauſas ſine noſtra juſſione finire præſumat, ſed tantum ad pauperum & minus potentium juſtitias faciendas ſibi ſciat eſſe vacandum.* Denique ſicut hæc eſt natura ſideribus, ut parva & exilia validiorum exortus obſcuret, ita Regis præſentia Comitum poteſtas inumbrabatur: Rege namque præſente controverſiæ ſtatum exponebant, uti ex Placitis Childeberti apud Mabillon. *lib. VI. de Re diplom n.* 27. 28. 29. cognoſcitur; ubi: *Idum inluſter vir, Bertoaldus, Comes palatii noſtri, teſtimoniavit.* Reges quippe, ſi non omnes, nonnulli tamen ipſi operam dabant pro tribunali, ſecundum Capitulare III. Ludovici Pii cap. 5. *Sciatis ob hanc cauſam nos velle per ſingulas hebdomadas uno die in palatio noſtro, ad cauſas audiendas, ſedere: ut per hunc aut illum Comitem & providentia Miſſorum, & obedientia populi manifeſtius appareat.* Attamen decreta, nomine Regio inſcripta, continebant, ex relatione Comitis Palatii judicatum eſſe. Sic in formula apud Baluz. pag. 910. *Proinde nos taliter, una cum noſtris Proceribus, in quantum illuſter vir Andobaldus, Comes Palatii noſtri, teſtimoniavit, conſtitit decreviſſe.* Idem ex Indiculo regali apud Marculfum Append. *n.* 38. diſcimus: *Ille Rex Francorum, vir inluſter. Cum nos in Dei nomine palatio noſtro ad univerſorum cauſſas audiendas vel recta judicia terminanda, una cum proceribus noſtris, reſideremus &c.* Mox: *Cum fidelibus noſtris, vel Comite palatii noſtri illo, viſi ſumus judicaſſe.* Quod ſi ergo, non præſente Rege, multo minus de ipſo Rege Comiti judicare licuit; niſi hanc ei facultatem ultro conceſſiſſet, ut boni principes Romæ procuratores ſuos in jus vocari patiebantur, nec Galliæ Reges hodierni, ad ſummum culmen poteſtatis evecti, cauſas ſuas in Parlamento decidi recuſant. Alias ſi percurras omnem Francorum hiſtoriam, evolvas Hincmarum, Capitularia &

Eginhartum, nullibi Comitis Palatini judicium in Regem invitum reperies: & cur, quæſo, illius in hiſtoria Childerici, Ludovici Pii, Caroli Calvi & Ludovici Germanici nulla fit mentio? Nonne ideo quia, ut Gregorius Turonenſis *lib. V. Hiſtor. c.* 19. memorat, ſe, a Chilperico Rege increpitum, eidem reſpondiſſe: *Si quis de nobis, o Rex, juſtitiæ tramitem transſcendere voluerit, a te corrigi poteſt: ſi vero tu exceſſeris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi, ſed ſi volueris audis: ſi autem nolueris quis te condemnabit, niſi is, qui ſe pronnutiavit eſſe juſtitiam?*

XI.

Quemadmodum vero Perſæ apud Romanos ridebant, Viris nobilibus arma magis, quam Jura callentibus, ſummos Magiſtratus mandari, qui doctos viros adſeſſores poſt terga haberent, ut Ammianus perſtringit *lib. XXIII. c.* 6. & Perſas hac in parte Romanis præfert: *Ad Judicandum*, inquit *uſu rerum ſpectati deſtinantur, & integri, parum alienis conſiliis indigentes: unde noſtram* (Romanam) *conſuetudinem rident, quæ interdum facundos jurisque publici peritiſſimos, poſt indoctorum collocat terga.* Ita de Comitibus noſtris Palatii dici poteſt, munus eorum non ſemper delatum fuiſſe viris eruditis, nec *litterarum dignitatem* fuiſſe; ut Caſſiodorus loqui ſolet. Mandabatur autem plerumque viris illuſtribus, ex nobiliore familia; qui arma ſæpe potius, quam jura callentes, adeuntibus Adſeſſorum verba pronuntiabant. Heribaldus enim, Comes Palatii, litterarum ſe ignarum profitetur, in ſubſcriptione *tab. Caſaur. n.* 237. *Signum Heribaldi Comitis S. Palatii, qui ibi fui & propter ignorantiam litterarum ſignum S. Crucis, feci*, apud Mabillonium *lib. VI. de Re diplom. p.* 544. Sed bene eſt, quod in eodem placito pag. 543. legitur: *Erantque ibi nobiſcum reſidentes Adelbertus Scabinus de Camerino, Lamfridus & Majolfus, Scabini de Teate &c.* Rurſus in placito ſequente: *Reſidentibus mecum Rainoldo, & Erifredo, & Caliprando, Baſſis domni Imperatoris, Adelberto, Johanne, Majolfo Judicibus.* Ad hujus exemplum ceteris quoque Comitibus conſiliariis juris-

peritis

peritis opus fuit, ſub prima regum ſtirpe, qui *Scabini Palatii*, in Chron. S. Vincentii *tit. III. Hiſt. Fr. p.* 690. & *Proceres*, apud Monachum S. Galli dicti: *Comitem Palatii in medio Procerum ſuorum concionantem.* Alia etiam reſponſio, ad hanc labem abſtergendam adferri poteſt, ex Cicerone pro Plancio c. 25. *Populus Romanus virtute & innocentia contentus erat: quotus enim quisque diſertus, quotus quisque jurisperitus?* Idem in Oriente factum notant Interpretes Græci ad *l.* 2. *D. Quod quisque juris;* & præclare Cujacius *lib. XXIII. Obſ.* 40. & Noodtius *lib. I. de Juriſd. c.* XI. illuſtrarunt. Alius denique color, quod ignorantia primarum litterarum illis temporibus nullam ignominiam in viris principibus habuerit: variis namque exemplis eruditiſſ. Mabillon. *lib. II. de Re diplom. c.* 22. §. 2. docuit, Subſcriptiones pro aliis olim frequentiores fuiſſe, quod viri nobiles & ingenui, Martis pulli, ſcribendi peritiam vel contemtui haberent, aut defectu inſtitutionis nomen proprium pingere neſciverint. Sic Juſtinus, Juſtiniani noſtri pater adoptivus, erat analphabetus, teſte Procopio in *Anecd.* Carolus M. licet ſcribere potuerit, tamen quanta difficultate laboraverit, tradit Eginhardus in ejus *vita c.* 25. ubi: *Tentabat & ſcribere, tabulasque & codicillos ad hoc in lectulo ſub cervicalibus circumferre ſolebat, ut, cum vacuum tempus eſſet, manum effingendis litteris aſſuefaceret. Sed parum proſpere ſucceſſit labor præpoſterus, ac ſero inchoatus.* Neque Withredus, Cantiæ Rex, imperitiam ſuam fateri erubuit ſubſcribendo: *Signum ſanctæ crucis pro ignorantia litterarum expreſſi*, apud Spelman. *Tom.* 1. *Concil. pag.* 193. 198.

XII.

Ex ſuperioribus facile conjicere licet, inter primas aulæ dignitates Comitis Palatii munus fuiſſe, qui interioris erat admiſſionis, & de majoribus negotiis, ſeu regum mandato, ſeu officii prærogativa judicabat. Referendus itaque eſt ad nobiliſſimos regni priores, qui in annalium monumentis *Priores regni, Primates majores, Seniores & Proceres* appellantur, quique

regiæ

regiæ menſæ honore gaudebant; eodem quoque *Illuſtrium* titulo, quo Reges Franciæ primæ & ſecundæ ſtirpis, ornabantur: nam Anſoaldus, Marſo, Audramnus, Bertoaldus, Sigfridus, Bero & Grimprechtus, Comites Palatii, *Viri illuſtres* vocantur in Placitis Childeberti regis, apud Mabillonium *lib. VI. de re diplom, n.* 17. 18. 19. 27. 28 29. & in form. Marculfi lib. I. n. 37. *Dum & Inluſtris Vir ille, Comes palatii noſtri teſtimoniavit.* Quantus ei honos fuerit exhibitus, quum Imperator Aulicos ſuos per illum alloqueretur, indicat Sangallenſis lib. 2. c. 9. *Videntes Comitem Palatii in medio procerum concionantem, Imperatorem ſuſpicati, terra tenus ſunt proſtrati.* Et merito! quia per Comitem repræſentandus accedit ad Principem; per illum ejus auribus deſiderium ſupplicis innoteſcit, & juſſa regis ſine venalitatis ſtudio expediuntur, ut de ſummo Cancellario ait Caſſiodor. *lib. II. Var.* 6. Vulgo huc etiam refertur tabella parva, quam ex vetere codice MS. eruit Paulus Petavius, Senator Pariſienſis, & in libello Muſei A. 1609. delineavit. Joh. Jac. Chifletius in *Anaſt. Child. c.* 9. conjecit, Carolum M. media figura, ceu honoratiore repræſentare patricium; adſidentem ei a dextris explicat Cancellarium, a ſiniſtris Comitem palatii: id vero pariter incertum eſſe puto, quam quod Petavius alterum Primicerium, alterum Secundicerium eſſe exiſtimavit; quales etiam revera Archicapellanus & Comes Palatii fuerunt. Cl. Mabillon. in *ſupplem. de Re diplom. c.* 9. *n.* 3. Petavium ſequitur; ſed Montfauconius *tom. I. Antiq. Mon. Franc. p.* 274. obſervat, pileum ejus, qui dextram occupat, in acumen deſinentem, inſolitæ eſſe formæ, quem vix tiaram licebit explicare, Perſis, Medis, Parthis & Lydis mage, quam Francis, uſitatam. Pileus vero ejus, qui ſiniſtram claudit, rotundus ac depreſſus Comitialis dignitatis vetus inſigne (mortarium vocant) eſſe videtur, quo Flandriæ etiam & Hannoniæ Comites tegebantur. Habitus etiam mediæ figuræ Patricio Romano convenit; cui circulus pro corona, & mantum ſeu chlamys imponebatur. Eginhartus in vita Caroli M. c. 23. *Peregrina indumenta, quamvis pul-*

cher-

cherrima, *reſpuebat*, *excepto quod Romæ ſemel*, *Hadriano Pontifice petente*, *longa tunica & chlamyde amictus & calceis Romano more formatis induebatur.* Sed donec de vera ætate iſtius tabellæ appareat, quæ florem in ſummis cancellis depictum habet, de Adſeſſoribus nihil certi definire audemus. Ceterum Cl. Eſtor *de Miniſt. c.* 1. §. 45. Comites Palatii, quantæcunque auctoritatis fuerint, recte in claſſem Miniſterialium conjecit: & cave putes, dignitatem eorum hereditariam fuiſſe; quam Rex, ut cetera aulica munera, pro arbitrio dare & adimere poterat. Neque Archicapellanum fuiſſe perpetuum, ex Epiſtola 97. Lupi Ferrarienſis, jam olim Baluzius collegit: multo minus Comites civitatum & pagorum ante Carolum Simplicem hereditarii facti ſunt, uti ex variis Gregorii Turonenſis locis, maxime *lib. IV. c.* 36. apparet; licet non negem filios in Comitatus, quos patres eorum fideliter adminiſtraverant, Regia conceſſione communiter ſucceſſiſſe. Prius a Romanis ſumtum eſſe, vix ambigi poteſt, qui Magiſtratus omnes ad certum tempus conſtitutos habuere, ideoque quidam *Ex Comitibus* dicuntur in inſcriptionibus Gruterianis *pag.* 430. *n.* 6. & 1052. *n.* 9. vid. Dadin. Alteſerram *de Ducib. & Comit. Gall. lib. I. c.* 5. Duravit noſtrum Comitis Palatii munus ad extrema usque tertiæ ſtirpis tempora; tunc vero, una cum Archicapellani munere, in Cancellarii & aliorum dignitatem tranſiit. vid. Petr. de Marca *de Concord. Regni & Sacerd. lib. II. c.* 15. §. 1. *lib. IV, c.* 7. §. 4. & Mabillon. *lib. II. de Re dipl. c.* 12.

CAPUT III.

DE COMITIBUS PALATINIS GERMANIÆ.

§. I. *Quatuor Comites Palatini Germaniæ Provinciales, ſed immediati: in Saxonia, Bavaria, Franconia & Suevia.* II. *Non in Marchia, nec Luſatia; Lambertus Schafnaburgenſis explicatus. Illorum ſedes, munus, ſalarium & dignitas.* III. *Præter hos unus fuit Comes Palatii, judex ſupremus, Imperatoris comes; cujus ſe-*

des & reditus erant Aquisgrani. IV. *Quatuor cautiones, in jure publico Palatino ſcitu neceſſariæ.* V. *Cur Palatinatus ad Rhenum, ceteris extinctis, duraverit, & quanta hujus Comitis poteſtas.* VI. *Idem vocatur judex Imperatoris in variis monumentis.* VII. *Quæ explicantur.* VIII. *Vicariatus Palatini, & reliquæ prærogativæ Comitis ejus præcipuæ.*

§. I.

Perduxit nos ordo ad Comites Palatii Germaniæ, a corpore terrarum Francicarum ſeparatæ: in hac enim nomina munerum, apud Francos exorta, non modo jugiter hæſerunt; ſed & ſuperioritate territoriali inducta, ordinis & honoris eſſe cœperunt. Cum igitur varia Palatia, ſive fora juridica, in ſingulis Germaniæ provinciis eſſent, Comites in eis conſtituti ſunt, qui fiſcum Regis adminiſtrarent, & jure Cæſaris, ſibi conceſſo, cauſas dirimerent, ut ſumtibus ſubjectorum parceretur. Teſtes hujus rei locupletes ſunt Auctor Weichbildi *art.* 7. §. 5. Spec. Suev. *lib. I. art.* 19. & Speculum Saxon. *lib. III. art.* 53. §. 1. cujus verba hæc ſunt: *In Teutſchen Landen hat jedes Land ſeinen Pfalz Grafen: Sachſen hat einen; Beyern hat einen; Francken hat einen; Schwaben hat einen. Dieſe vier Lande waren hievor alle Königreiche.* Comitum Palatinorum *Saxoniæ* jam ſub Othone III. mentionem facit Ditmarus Merſeburgenſis *lib. V. pag.* 352. *edit. Leibnit.* Meminit eorundem Helmoldus *lib. II. c.* 7. & Adam. Bremenſ. *lib. IV. c.* 18. & 28. Late etiam de iis agitur in libro *de fundatione Monaſterii Gozecenſis*, Maderi Chronico Montis ſereni adjecto *pag.* 229. Genealogiam Reineccius, in appendice ad Wittekindum contexuit. Tenuerunt autem illum Palatinatum primum Comites Wetinenſes; deinde Gozecenſes & Summerſeburgenſes; poſtremo Landgravii Thuringiæ, Ducesque Saxoniæ, tam Anhaltinæ, quam Miſnicæ ſtirpis, qui & hodie in inſignibus eum exprimunt. vid. Schurtzfleiſch, *de Vitr Eccleſ.* §. 10. & *de Alberto III. Duce Saxon. diſſ.* 46. & 47. Reinhard. *de Offic. Imp. Sax. ſect.* 1. §. 9. Horn. *de Comit. Palat. Sax.* Comes *Bavariæ* Pa-

Palatinus primus occurrit Arnulfus, Arnulphi Mali filius, apud Rotgerum *in Vita Brunonis cap.* 16. *Tomo* I. *Leibnit. ſcript. rer. Brunsvic.* Abbas etiam Urſpergenſis ad A. 1102. *Erbo jam grandævus nobilis, de Carinthiæ princeps, & quondam Palatinus in Bajoaria Comes, migravit in Domino.* Ab his Witelsbachiis, *Palatii Comitibus de Bavaria*, ut vocat Radevicus *lib. II. c.* 54. deſcendit Otho Illuſtris, Ducum Bavariæ & Palatinorum Rheni communis parens. At poſtquam Otho IV. Othonem Palatinum de Witelinspach, propter occiſum nefarie Philippum Suevum, A. 1208. proſcripſit, Comites Ortenbergenſes ſucceſſerunt, quorum ſeriem Hundius *im Bayeriſchen Stambuch. p.* II. *p.* 25. illuſtravit. Vid. Freher. *p.* II. *Orig. Pal. c.* I. Gundlingiana *p. XXI. Obſ.* I. & Hahn. *Hiſt. Germ. part. IV. p.* 78. De *Franconiæ* Palatinis Comitibus ſilent rerum Germanicarum ſcriptores: ſunt tamen, qui Everardum, a fratre Conrado Rege, Comitem Palatii conſtitutum putent, quia *Comes potentiſſimus de Francia* vocatur a Luitprando *lib. II. c.* 7. & *Comes Palatii* a Sigeberto Gemblacenſi *ad A.* 938. Tolnerus vero *Hiſt. Palat. c.* 7. eum non ſolius Franconiæ, ſed totius regni Teutonici Comitem Palatii, & ſimul Ducem Franconiæ ab Henrico I. conſtitutum eſſe exiſtimat; quia a Ditmaro *lib.* 2. & Continuatore Reginonis *ad A* 937. *Ducis titulo* inſignitur. Cl. Struvius *in Syntagm. J. publ. c.* 20. §. 22. conjecit, Comites a Limburg Comites Palatinos Franconiæ fuiſſe, quia inſignia eorum cum Franconiæ inſignibus conveniunt. In *Suevia* Comites de Tubingen Palatini vocantur, apud Urſpergenſ. ad *A.* 1163. & in Monum. Wurtemb. *in Monaſt. Bebenhuſ. n.* 3. Eorum ſeriem late refert Cruſius *Annal. Suev. p.* 2. *lib. VIII. c.* 13. *& lib. X. c.* 10. Sed vendita Wurtenbergenſibus arce Tubingenſi ceſſavit Palatini titulus, & Comites Tubingenſes extincti ſunt. Cl. Maſcovius *in Princ. jur. publ. lib. IV. c.* 5. §. 37. in dubium vocavit, officiumne Comitis Palatini revera geſſerint, an vero dignitatis titulum, ſicut alii Comites tenuerint: at vero habuit Alamannia, pariter ac Saxonia, leges ſuas proprias; & ratio Speculatoris in eam quadrat, quod

hæc terra *olim fuerit regnum.* Henricus Spelmannus, in Gloſſ. v. *Comes*, eum hoc modo explicat, Palatinos Principes olim fuiſſe Reges, deviċtosque eosdem a Romanis adminiſtrationem priſtinam, ſed mutato titulo, obtinuiſſe: quo nihl a mente ejus magis alienum eſt. Nam Saxonia ſub Ludovico Juniore, Ludovici Germanici filio, demum, & poſtea ſub Thuringis regni formam induerat; Bavaria jam ante Clodovæum; Franconia vero ſub Ludovico Juniore regnum fuerat; Alamanniam denique ſub Carolo Craſſo & citius regnum fuiſſe conſtat. Vid. Ammian. Marcellin. *lib. XIV. cap.* 10. & *lib. XXVII. c.* 10.

II.

Præter hos quatuor Comites Palatinos nulli immediati reperiuntur, & quotquot alii Comites honoris cauſſa Palatini dicti, Duci vel Marchioni obſequium debuere. Non ſane Bohemicæ aut reliquæ Venedicæ provinciæ eos habuerunt; quantumvis ad ſummum regiæ vel ducalis dignitatis faſtigium poſtea evectæ. Nec in Marchia Brandenburgica horum Comitum veſtigia adſunt; licet jam ſub Henrico I. juris Germanici facta; non tamen olim fuerat regnum, nec peculiarem provinciam conſtituerat, Comite Palatino Saxonico ibi vice ſacra jus dicente. Ex quibus ſimul adparet, quid de ſententia Hertii ſit habendum, qui *in diſp. de Conſultat. leg. & jud* §. 19. Comitem Palatinum *Luſatiæ* ex Lamberto Schafnaburgenſe nobis propinavit, *in Chron. ad A.* 1057. ubi tamen *Henricus Palatinus*, non Comes *Luſatorum*, ſed *Lutbariorum*, id eſt, Lotharingorum vocatur; ut paulo poſt apparebit. Ubi vero quatuor illi Comites genuini ſedes ſuas habuerint, haud certo dici poteſt; quia plures in ſingulis Ducatibus urbes Palatinæ, Curtes, vel Caſtra imperialia & Villæ regiæ, *Königshofe*, memorantur. Plane Speculum Saxon. *Landrecht. art.* 62. quinque urbes Palatinas in Saxonia fuiſſe tradit. In Bavaria Otto Friſing. *lib. II. c.* 28. Ratisbonam Norici ducatus Metropolim vocat: ſed Comitatum Palatinum in caſtro Scheyrn

in-

inſtitutum eſſe, refert Andr. Presbyter. *Chron. Bav. p.* 15. In Franconia palatium ad Salam jam Caroli M. tempore fuit celebratum, Eginhart. *ad A.* 790. ſed quis Comitem Palatinum in eo locare auſit? In Suevia ſedes Comitum ordinaria Tubingæ fuiſſe videtur, quia in Regiſtro Innocentii III. ep. 14. *Comes Palatinus de Tuing.* occurrit. Officium horum Comitum erat, ut vices Cæſaris gererent, ejus fiſcum, reditus & prædia procurarent, jura ipſius nomine in Palatiis redderent, & ſub banno imperiali judicarent. Spec. Sac. *lib. III. art.* 64. *Palanzgravii & Landgravii ſub banno, ut Comites, judicant imperiali, & ideo eis ſexaginta ſolidi pro mulcta dantur.* Præter mulctas vero etiam terræ quædam immediatæ ſalarii loco ipſis aſſignatæ ſunt, quæ neque cum Prædiis Palatinis, neque cum terris Comitum hereditariis debent confundi. Intererant quoque, inter alios Status Imperii, Comitiis; uti Fridericus I. Comes Palatinus Summerſeburgicus, comitiis Brunſvicenſibus, Merſeburgenſibus & Bardevicenſibus interfuiſſe legitur. v. Struv. *J P c.* 20. §. 19. & 25. Pleraque complexus eſt Aventinus *lib. VI. p.* 296. *Hi vicem Cæſaris præſidendo ſenatui principali fungebantur; fidem Imperatoris implorantibus aderant jusque reddebant; fiſcum Auguſti, prædia ſalica, reditus Regios procurabant, Cæſareum cenſum exigebant. Nihil citra ejus auctoritatem Duci decernere aut ſtatuere licet.*

III.

An, præter hosce Comites Palatinos provinciales, immediate Imperatori ſubjectos, unus in Palatio ſupremus fuerit judex, qui Reges & Imperatores per Germaniam, ad Ludovici Bavari tempora, per Germaniam proficiſcentes comitaretur, nemo forſan ambiget, qui ex natura ſummi imperii didicit, unum cujusque regni ſummum eſſe debere tribunal, ad quod cauſæ graviores in ultima inſtantia devolvantur. Ab hujus etiam Comitis Palatii ſupremo judicio, origo judicii Imperii aulici repetenda videtur, quod Fridericus II. *Curiam noſtram*, Carolus IV. *Imperialem Curiam & Audientiam*

judicis immediate in Imperiali Curia præſidentis appellarunt. Quodnam vero olim præcipuum fuerit Palatium, in quo ſupremus ille jus dixerit, facile poterit cognoſci; ſi modo in memoriam revocemus, Henricum Aucupem, ejusque filium Othonem M. Lotharingiæ regnum tam arcto nexu Germaniæ junxiſſe, ut Lotharingi quintam provinciam, quintumque populum eumque primarium efficerent; apud quos ſedem regni Francici poſtliminio renovari placuit; qua de re Obrechti *Prodromus rer. Alſat. c.* 7. & Cl. Maſcovii Diſſ. *de nexu regni Lotharing. cum Imp. Rom. Germ.* §. 7. videantur. In hoc autem regno, in ducatum converſo, ſitum erat Aquisgranum, ſedes regni Carolingici & thronus regalis, *der Königcliche Stuhl zu Aaken*, ut capite præcedente, ex Wippone *in Vita Conradi Imp. p.* 426. vidimus, Palatio huic etiam præfuiſſe Comitem palatii generalem, vel ſolus Monachus Brauwillerenſis, in vita Ezonis, fundatoris illius Monaſterii, qui vixit circa A. 1060. apud Papebrochium *in Actis Sanct. t. V. Maji p.* 50. & Leibnit. *tom. I. ſcript. rer. Brunſvic. p.* 314. nos docebit; ita autem de Ezone, Ezilo, id eſt, Ehrenfrido, Comite Palatii ſcribit: *Regalis palatii apicem jure paterni ſanguinis ſtrenuiſſime gubernando, eo profecit honoris, ut ſuam ſemper gloriam pluris, quam accepiſſit, efficeret decoris.* Ait, *jure paterni ſanguinis*, quia Hermannus, princeps auctor & fundator Palatinatus, eum ad filium Ezonem, hic ad nepotem, Othonem, is ad patruelem Henricum, & quidem jure hereditario, transmiſit. vid. Tolner. *Hiſt. Pal. c.* 1. *p.* 5. Pergit Monachus de Ezone pag. 318. *Cujus tranſitu in Aquisgrani Palatio propere cognito: nam ibi tunc Comes Palatinus erat, occupatus cum totius Lotharingiæ Majorum colloquio, &c.* Neque alius locus magis erat aptus, quia Imperatores plurimum in terra Rhenenſi degebant, ob diverſa Imperii Palatia, in hac parte regni præſtantiore ſita, quæ a prima ætate ad hæc usque tempora Duce caruit. Ibi Wormatia, Maguntia, Auguſta Trevirorum, Villa Rheni, *Rheinſe*, & prope eandem thronus regalis, *der Königſtuhl*, in quo Imperator & Electores de rebus Imperii

acturi

acturi conveniebant. Non igitur in ſuperiore Rheni parte, vel ad Nicrum, ſed in Lotharingia circa Moſellam & in Ducatu Juliacenſi, haud procul Aquisgrano, in *Thomberg*, *Duren*, *Brovilre & Meyenſeld*, reditus quidam Comiti huic adſignati ſunt, ex quibus cum ſplendore dignitatem tueretur. Neque nunc inquiro, ejusne rei auctor fuerit Henricus I. qui *Belgicam Gallicam cum Palatio Aquis recuperavit*, tradente Ottone Friſing. *lib. VI. c.* 18. an Otho I. qui, mortuo fratre Brunone, Lotharingiam per Comites rexit, *cunctaque Lotharienſis regni negotia*, *prout ſibi videbatur*, *diſpoſuit*, ait Regino *ad A.* 966. At poſtea ſenſim majores Provinciæ, ut *Stalcke*, *Bacharach*, *Stalbuhel & Heidelberg*, ad Rhenum ſuperiorem, Palatinis Comitibus, inſtar alluvionis acquiſitæ ſunt, & Conradus inprimis, conditor potentiæ Palatinæ, auſpiciis fratris ſui Friderici I. Imp. vicinis antiſtitibus, Moguntino, Wormatienſi atque Spirenſi, quædam ademit, nec non partes Franconiæ delibavit, quæ juncta, inſtar pallii conſuti, hodiernum Palatinatum conſtituunt. Ex illo igitur tempore priores terræ, ad Rhenum inferiorem ſitæ, vel in Eccleſias collatæ, vel jure beneficiario in ſubfeuda datæ, ut *Wyd*, *Sayn*, *Manderſcheid* &c. vel permutatæ ſunt, ſicut Freherus *Orig. Palat. part.* 1. *c.* 10. *ſeq.* & Tolner. *Hiſtor. Palat. c.* 2. & 3. luculentur oſtenderunt.

IV.

Ut autem ſcopulos, ad quos alii, etiam eruditiſſimi Viri, in jure publico Palatino alliſi ſunt, præternavigemus, ſequentia forſan diſtingui debent. 1. Aquisgranum tempore Caroli M. & Ludovici Pii fuit Archiſolium utriusque Auſtraſiæ, & Weſtraſiæ, orientis & occidentis; poſt diviſionem imperii Carolingici ſolius regni Lotharingici fuit Palatium: ab Henrici autem & Othonis temporibus, inſtaurato iterum Francorum regno, a quo ſe ſe *Franciæ Orientalis reges* appellarunt, poſtliminio palatium univerſale eſt factum; in quo etiam Otho I. teſte Wittichindo *lib. I. Ann.* electus & conſecratus eſt, ejusque exemplo ſecuti poſtea Reges inaugurari debuerunt. Atque

que hæc videtur eſſe genuina cauſſa, cur hic *Palatinus Franciæ* in tab. antiqua appellatur apud Limm. *add.* 2. *ad lib: V. c.* 2. *poſt pag.* 352. non vero, quod Dux Franconiæ ſimul fuerit ſummus Comes Palatinus; ut alii putarunt. Sed quia poſt Eberhardum nulla amplius Comitis Palatini fit mentio in Franconia, probabile videtur, Comitem ſupremum Palatii ibi hoc officio functum eſſe. (2.) Idem forte dicendum eſt de Lotharingia, cujus Comes a Speculatoribus eſt omiſſus, ea ratione, quod ſolus generalis Comes ibi vice ſacra judicabat, & proprium quaſi Palatium habebat. Si quis vero provinciales quoque Lotharingiæ Comites Palatii fuiſſe contendat, eosque ideo in Speculis omiſſos, putet, quod priſcæ Germaniæ, *in Teutſchen Landen*, Comites enarrabant, ad eorum claſſem referri poſſe videtur Henricus, Comes Palatinus Lotharingiæ, Chunonis Carinthiæ ducis frater, quem Lambertus Schafnaburgenſis *Palatinum Comitem Luthariorum* appellavit, in Chron. *ad A.* 1057. qui tamen a Tolnero Comitibus Palatinis ad Rhenum accenſitus eſt. Sed vid. Cl. Mascovium *de nexu regni Lotharing. ſect.* 1. §. 7. (3.) Alius fuit Dux Lotharingiæ; alius vero Comes Palatii ſupremi: neque aſſentimur Ill. Coccejo *Jur. publ. c.* 3. *ſect.* 6. §. 92. qui, neſcio quem, ducatum Provinciæ Rhenenſis Comiti Palatino tribuit. Idem in *append.* 1. *n.* 10. Giſelbertum Ducem, in inauguratione Othonis I. ſimul vices Comitis Palatii Rhenii geſſiſſe putavit, quum tota indoles muneris Palatini ab officio Ducis, vel adminiſtratione ampli territorii fuerit diverſa; utique quamdiu is ob muneris rationem, aulam & perſonam, Imperatoris per Provincias comitabatur. Neque terra Rhenenſis, quæ, ad utramque Rheni ripam, Wormatiam, Spiram, Maguntiam, Coloniam, Auguſtam Trevicorum aliaque continebat, peculiaris principatus, aut ſeparata Provincia fuit, ſed nunc Franconiæ duci ſubjecta, nunc immediate Imperio paruit. Denique Witechindus Saxo de vicibus Comitis Palatii ne γρῦ quidem: verba ejus *lib. III. Ann. pag.* 246. hæc ſunt: *Duces adminiſtrabant; Lothariorum Dux Giſelbertus, ad cujus poteſta-*

tem

tem locus ille (Aquisgranum) *pertinebat*, *omnia procurabat: Eberhardus menſæ præerat: Hermannus Francus Pincernis: Arnulphus equeſtri ordini.* Ecce! Giſelbertus *omnia*, non modo ad victum & alimenta Regis, ſed etiam ad coronationem neceſſaria procurabat; non quia Palatio immediato præfectus, ſed quia locus, Aquisgranum, in ejus provincia ſitus: nec ſpernenda videtur Conringii conjectura *de Official. Imp.* §. 12. illum Archi-Camerarii officio functum eſſe. Denique (4.) non eſt, cur cum Petro Pithæo in libro, cui titulus *Memoires des Comtes de Champagne & Brie*, adverſus Rhenanum & Heroldum, disputemus, an Palatinatus Rheni nomen acceperit ab illa regione, quæ *Capellatium*, *ſive Pallas* apud Ammianum Marcellinum *lib. XVIII.* vocatur: aut cur, cum Petro de Andlo & Kyriandro credamus, a *Palatio Trivirenſi* Comites Palatinos dictos; vel cum Munſtero, *Cosmogr. lib. III. c.* 150. & Freinshemio *de Vicariat Palat. c.* 9. *n.* 16 ſimus ſoliciti, *Wo die alte Pfaltz, zu Kayſer Othonis III. zeiten ihren ſitz gehabt habe* ſi tempora diſtinguantur: priores enim Comites Palatini ſeculo decimo & undecimo ſparſa poſſidebant bona circa Moſellam, loco ſalarii, in feudum conceſſa; ſenſim vero ad Rhenum ſuperiorem majora acquiſivere, & ex quo tempore Ludovicus Bavarus, Elector Imperii, a Friderico Barbaroſſa Palatinatum hunc in Comitiis Ratisbonenſibus circa A. MCCXV. impetravit, ejusque filius Otho Agnetem, Henrici Palatini filiam duxit, exinde Palatinus *ad Rhenum*. vel, *juxta Rhenum*, *Pfaltzgraf bey Rhein* perpetuo dici cœpit. Hinc Arnoldus Lubecenſis *lib. VI. c.* 6. meminit *dignitatis Palatii*, *quam Palatinus circa Rhenum habebat*, & ſeculo duodecimo Guntherus *lib. V. Ligurim* vs. 24.

- - - - Hermannusque ſacræ Comes inclytus aulæ,
Cujus erat tumido tellus circumflua Rheno.

V.

Ex his, quæ hactenus disputavimus, quid cauſæ ſit, cur, deficientibus ceteris Comitibus Palatinis, a Speculatore ſupra memoratis, ille ad Rhenum cum Saxonico duraverit, &

ad hujus differentiam a tractu Rheni fuerit appellatus, facile pateſcet. Cum enim Duces Provinciarum, creſcente & adulta ſuperioritate territoriali, ipſimet juris dicundi poteſtatem in terris ſuis exercerent, & regalia Imperatoris ſibi ſumerent, obſoleti ſunt Comites Palatini provinciales, eorumque umbra in hodiernis bullatis Comitibus manſit. Sed quia Germania duplici jure utebatur, Francico & Saxonico, hinc duo Palatini manſerunt: & ille quidem ad Rhenum, tanquam Regii Palatii & Regni Comes, partim ex nova Lotharingici ducatus diviſione ab Othone I. facta; partim ex donatione Othonis III. & Friderici I. partim etiam, exſtinctis Franconiæ & Sueviæ ducibus, magis magisque crevit, adeo ut primos inter regni Officiales haberetur, fere ad eum modum, quem de Hungariæ Comite Palatii Goldaſtus *tom. III. conſt. p.* 403. ex antiqua ordinatione, de *Officio Comitis Palatini*, ex formula Francorum vel Germanorum petita, refert: *Adeo amplam poteſtatem, Jurisdictionem & Auctoritatem habet, ut demta regia dignitate nullus omnino juſtitiariorum ampliorem, ſed neque parem habeat.* Sed quia tempus hujus ordinationis aut incertum eſt, aut in turbida Imperii tempora incidit, multique de fide ejus dubitant: igitur accedat Guil. Neubrigenſis *de Rebus Angl. lib. IV. c.* 30. qui Conradum, Frid. I. fratrem, Comitem Palat. *virum in Imperio ſummæ poſt Imperatorem amplitudinis* vocavit. Quamvis enim Ducatus dignitas per ſe ſit eminentior, quam Comitatus Palatini, quatenus tamen Comes Officium imperii aulicum, maximi momenti & quotidiani uſus gerebat, reliquis præferri poterat. Argumentum ejus rei quoque clariſſimum eſt, quod, Imperatore defuncto, Moguntinus olim Electores ſub banno Eccleſiaſtico, Palatinus vero ſub ſeculari convocabat. Ita Speculator Saxo *lib. I. c.* 29. §. 3. & Sachs. Landrecht *c.* 27. §. 3. *Sollen den Churfürſten ein geſpræch gebieten in Franckfurt. die ſolle gebiethen der Biſchoff zu Mayntz, bey dem Bann, und der Pfalzgraff am Rhein bey der acht.* Urbanus IV. vero, in Epiſtola ad Richardum, Regem Romanorum, apud *Leibnit. prodr. Cod. Jur. Gent.* utrique ſimul, vel alterutri jus convocandi tribuit; *ad Archiepiſcopum*

pum Moguntinum & Comitem Palatinum Rheni, vel ipſorum alterum, altero nequeunte, vel forſitan non volente pertinet ad electionem ipſam celebrandam, diem præfigere, ac ceteros electores Principes convocare. Major prærogativa eſt, quam idem Urbanus IV. Palatino tribuit apud eundem Leibnitium *p.* 15. & Bzovium *annal. tom. III. ad A.* 1263. *p.* 710. quod diſſentientibus Electorum ſuffragiis, is ſuo voto rem dijudicare potuerit. Verba ſunt memoratu digniſſima: *Et ſi duo in diſcordia eligantur, vel alter Electorum per potentiam obtinebit, ad prædictum Comitem Palatinum, tanquam ad hujus diſcordiæ judicem, eſt recurſus habendus.* Cl. quidem Struvius *Syntagm. Jur. publ. c.* 24. §. 3. hoc Pontificis teſtimonium fide dignum eſſe negat, dum nullus Scriptorum Germanicorum id aſſerat; ego vero illud non omnino contemnendum eſſe puto, quia Palatino, tanquam Archiofficialium ſummo & Judici ſupremo Imperii, & tempore interregni Vicario, id privilegii uſu acquiſitum eſſe potuit: nam & Cuſpinianus *Vita Wenceslai p.* 391. memorat, Rupertum Palatinum Electores ad Wenceslai depoſitionem convocaſſe: *Quæ omnia Rupertus Palatinus, ut naſcenti occurreret calamitati, cum animo reputaret, ex officio ſuo Imperii principes ad publica convocat comitia.* Idem etiam repetiit Lehmann. *Chron. Spir. lib. VII. c.* 59. & Ill. Ludewig. *ad A. B. pag.* 172. ſuffragio ſuo probavit, quia hæ partes Palatino tanquam Judici Imperatoris conveniant. Sed quia, ex actis, ab Ulrico Obrechto collectis, magis patet, Joannem Moguntinum Electores convocaſſe, & de Palatini Judicio in Imperatorem variæ ſunt Eruditorum ſententiæ, age! eam in rem paullo diligentius inquiramus.

VI.

Enimvero an ejusmodi Palatini judicium, cui ſtare non regiæ virtutis, ſed neceſſitatis eſſet, unquam fuerit, vetus eſt quæſtio, a multis retro temporibus agitata. Acerrimi in juribus Domini ſui aſſerendis fuerunt Conſiliarii Palatini, quibus Ill. Ludewigius *in comm. ad A. B. tit. V.* §. 3. *p.* 585. patrocinatur: cum ab altera parte ſteterint Bavari, quorum ſententiam Ill.

Berger. *ad Coccej. p.* 117. *ſeq.* firmare annifſus eſt. Neutri vero parti accedit Cl. Senckenberg, qui meram fabulam judicii Palatini in Cæſarem crepat; quæ ex verbis Urbani IV. ſupra relatis enata fuerit. Nos ipſos fontes adeamus, & quid ex illis haurire liceat depromamus. Sane tale quoddam Judicium exſtitiſſe ſatis clare indicare videtur A. B. *tit. V.* §. 3. ubi ſequentia reperiuntur: *Et quamvis Imperator ſive Rex Romanorum ſuper cauſis, pro quibus impetitus fuerit, habeat, ſicut ex conſuetudine introductum dicitur, coram Comite Palatino Rheni, ſacri Imperii Archidapifero Electore Principe reſpondere, illud tamen judicium, Comes ipſe Palatinus non alibi, præterquam in Imperiali curia, ubi Imperator ſeu Romanorum Rex præſens extiterit, poterit exercere.* Omnes, qui, in hoc loco explicando deſudarunt adferre, animus non eſt, legere vero quædam ſi quis cupiat, præ ceteris adiri ſuadeo Cl. Pfeffingerum, *lib. III. tit.* 12. §. 14. *ſeqq.* qui hunc locum pleniſſime exornavit. Aliud paſſim argumentum ſumitur ex antiqua Ordinatione de Comite Palatino apud Goldaſtum, *dict. tom. III. Conſtit. Imp. pag.* 403. *n.* 6. *Quod ſi quando differentia ſive diſcordia inter Regem & Regnum oriri forte contingeret, Palatinus ex officio debet eſſe mediator & ſe interponere.* Quinimo exemplum juris hujus exerciti, cum Alberto Regi principes Eccleſiaſtici coram Palatino diem dixerunt, nobis reliquiſſe videtur Henricus Stero, ſeu potius Henricus Rebdorff, a Frehero editus, dicens, Electores Eccleſiaſticos elegiſſe *Rudolphum pro judice, & aſſeruiſſe, ad Comitem Palatinum pertinere, quod ſit officium Palatinæ dignitatis ex quadam conſuetudine de cauſis cognoſcere, quæ ipſi Regi movebantur.* Aliud teſtimonium fert Petrus de Andlo de *Imper. Rom. Germ. lib. II. c.* 10. *p.* 88. Idem quoque Judicium Palatinum confirmant Speculum Saxonicum *lib. III. art.* 52. §. 5. atque Weichbildum, *art. VIII.* §. 2. & *art. IX.* ex editione Goldaſti, in *Collect. Conſuetud. & Legum Imper.* Plura habet, Speculi Suevici auctor. *cap.* 20. §. 4. & *c.* 30. *Landr.* qui ut quibusdam antiquior videtur, ita in rebus ad Palatinatum pertinentibus majoris eſt auctoritatis. Alia denique ad hoc

Ju-

Judicium probandum congeri poſſent v. c. quod Mattheus Paris. ad A. 1236. ſcribit, Comitem Palatii in Anglia habuiſſe de jure *poteſtatem regem, ſi oberret, cohibendi:* verum his aliisque prætermiſſis, nobis ſufficiet præcipua attuliſſe momenta, quæ pro fundamento hujus judicii Palatini proferuntur.

VII.

Quot autem quantæque hanc in rem adferantur rationes, tanti tamen non ſunt, ut illis calculum adjiciamus; quia abſurdum eſt ſupremum judicem invitum ab inferiore judicari; quod enim ſummum eſt adjectionem non recipit: nec deſunt, quæ ad præcipua. §. præc. allata argumenta reponantur. Primum eorum quæritur in *A. B.* at vereor, ut hujusmodi ſenſus ex ea elici poſſit; hiſtoricæ enim & hæſitanter tantum de ea re loquitur: *ſicut ex conſuetudine introductum dicitur*, talis vero conſuetudo de Civilibus & pecuniariis cauſſis tantum intelligi debet; qua Palatino, tanquam ſupremo aulæ imperialis Judici declaratio Juris controverſi, libera Imperatoris voluntate & quaſi ex conventione, conceſſa fuerit; ut tamen arbitrio Imperatoris relictum ſit, an coram Palatino, an coram alio quovis reſpondere velit. Nec officit verbum *habere*: id enim non neceſſitatem, ſed liberam voluntatem declarare, ſatis demonſtrat du Frene in Gloſſar. *v. Habere.* Antiqua vero Ordinatio, quæ reperitur apud Goldaſtum, nihil ad nos: hæc enim cum ſubleſtæ fidei eſſe videatur, aut ad Hungariam pertineat; a Palatino unius regni ad alterum non valet conſequentia. Hoc amplius ſi concedamus, quod urgent, eam in Germania obſervatam fuiſſe, nil præſidii tamen ex ipſa ſperari poteſt; cum Palatinus, non ut Judex, ſed ut *mediator*, ſe interponere dicatur. Quod vero Electores, Moguntinenſis, Colonienſis & Trevirenſis Archiepiſcopi coram Palatino diem dixerunt Alberto regi, videndum an jure id fecerint: nam *conſpiraverant* contra Regem; ideoque hoc exemplum, tanquam reipublicæ turbatæ, in qua Jus ceſſabat, probationis loco adferri nequid. Ceteris, quæ vulgo adferuntur, refutandis, ut diu immoremur, minus neceſſe eſt;

Petrus enim de Andlo communem errórem eſt ſecutus: nec Speculorum privata auctoritas quidquam nobis moleſta eſt; quia omnis corum de Judicio Palatini ſermo erroribus ſcatet, forſanque demum in utrumque Speculum poſt A. B. irrepſit. Profecto, quo diutius huic judicio contemplando inſiſtimus, ejus incertitudo major apparet; & omnis fabula in fumum abit, ſi quibus in caſibus Imperator alterius Judicium pati queat, videamus: vel enim civiliter ad reſcindendos actus ſuſceptos, aut criminaliter ad depoſitionem agitur; quod ad prius, conceſſimus & oſtendimus bonos Imperatores Romanos, Francos & Germanos paſſos fuiſſe, ſe civiliter conveniri; ut tamen, pependerit ab eorum arbitrio, num coram Palatino in cauſſis pecuniariis procuratores ſuos Fiſci ſtare voluerint, Poſterius vero nullatenus agnoſcimus, nec depoſitio Adolphi aut Wenceslai nobis officit: hanc enim omnium Electorum & Statuum Imperii conſenſu peractam fuiſſe, ex Chartis depoſitionum liquet: nec quicquam præcipui Palatinus habebat, niſi quod ſententiæ Pronunciatio & executio ei, tanquam Judici imperii, mandata eſt, quo ipſo ſimul Aventino in *Annal. Bojor. L. VII. c.* 12. §. 29. & aliis ſatisfieri puto.

VIII.

Quod ſi Jura ſingularia & prærogativas Sereniſſimorum Comitum Palatii ad Rhenum, lineæ nunc regnantis Neoburgicæ, excutere vellemus, campus nobis pateret ampliſſimus; ſed quia Viri clariſſimi, Freherus, Tolnerus, Coccejus, Schwederus, Stravius, aliique de illis fuerunt ſolliciti, potiora per indicem ſubjiciemus. (1.) Præ ceteris eminet dignitas Electoralis; vi cujus ex A. B. quartum, inde ab A. 1648. octavus Elector factus, ſeptimum ſuffragium in electione Imperatoris habuit. (2.) Olim fuit Archi-Dapifer S. Imperii; ſed ex A. 1651. munus Archi-Theſaurarii geſſit. Subofficialem habet Comitem de Sintzendorf, cujus eſt miſſilia ſpargere, ſi Imperator inauguratur. (3.) Ex A. B. *tit. V.* §. 1. Idem, tempore interregni, *ratione principatus, ſeu Comitatus Palatini privilegio,*

gio, eſt Proviſor imperii, in Partibus Rheni, & Sueviæ, & terris Juris Franconici: Saxonia excepta, terrisque aliis, in quibus tunc Saxonica jura ſervabantur; propter antiquiſſimam Germaniæ diviſionem, in terras Juris Francici vel Saxonici, de qua ſupra dixi *pag.* 30. (4.) Tutor eſt minorennis Regis Romanorum, non conſtituto per teſtamentum tutore, Capit. Joſephi *art.* 47. (5.) Gerit Directorium Circuli Rhenani ſuperioris, cum Epiſcopo Wormatienſe: Weſtphalici vero alternans cum Duce Clivienſi eſt Condirector, cum Epiſcopo Monaſterienſe, (6.) Gaudet Juribus fiscalibus *der Wildfänge, Hageſtoltzen, Baſtardfälle & Königleute*, in ſuo atque vicinis Archiepiſcoporum & Episcoporum territoriis. (7.) In iisdem Jus conducendi ex pacto vel ex præſcriptione exercet, intra modum laudo Heilbronnenſe, pariter ac circa Jus Wildfangiatus, definitum A. 1667. (8.) Tribuit ſibi Dominium Rheni, & inſularum in eo natarum, quatenus illud aliis non eſt legitime quæſitum. (9.) Eſt protector Cuprariorum, *des Kesler Handwerks*, trans Rhenum, & magnam partem cis Rhenum: in tractu Franconiæ vero nobilibus *de Zobel zu Gibelſtatt* in ſubfeudem conceſſit. (10.) Exercet Jus de non appellando, a Ferdinando III. A. 1653. confirmatum. (11.) Creat Comites, Barones & Nobiles, auctore Frehero *ad P. de Andlo lib. II. c.* 11. (12.) In Principum Collegio tria ipſi vota competunt, ratione Lautern, Simmern, & Neuburg. Cetera vero de Advocatia in decem Epiſcopatus Germaniæ; de jure redimendi domania Imperii, a Cæſaribus oppignorata; de munere conſervatoris privilegiorum ordinis equeſtris S. Johannis; de officio in Eccleſia Bambergenſi, *des Stiffts Bamberg Ober und Afteramt*; de ſigillo Majeſtatis; de Jure aperturæ in arcibus quibusdam; aut ſunt antiquata, aut dubia, aut non magni momenti.

)o(

COROLLARIA.

I.

Error in Nomine, Cauſa & Demonſtratione non vitiat legatum.

II.

Tutela Origine & Forma eſt Juris Civilis.

III.

Datur Jus Gentium voluntarium.

IV.

Fures aliquos laqueo puniri nil vetat.

V.

Querela inofficioſi eſt præparatoria hereditatis petitionis.

VI.

Ædilitium edictum non pertinet ad locationes.

VII.

In l. 40. D. de Her. inſt. *pro* alter ſemis, *non eſt legendum* as, *nec* alter Sempronii as.

VIII.

In l. 14. §. 2. D. add. SCt. Trebell. Præceptorem *nolim mutari* in Prætorem.

IX.

L. 3. C. Comm. utr. Jud. *obtinet, etſi læſio in rebus diviſis ſit infra dimidium.*

X.

L. 5. C. ad L. Jul. Maj. *non eſt injuſta.*

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE